# HUNC SUUM DISCURSUM, DE JURE REGIO IN IMPUNITATE DELICTI CONSISTENTE, SUB...

Thomas Lansius, Sten Bielke, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

I.

FACTURUS in publico ingenii periculum, operæ pretium duxi, ſi eam materiam ſuſciperem ventilandam, quæ ſui raritatem & difficultatem in Civili vitâ compenſaret inſigni aliquâ utilitate. Etſi autem in præſenti argumento res eſt non parvi laboris aut præjudicii, inveteratam longo errore opinionem, præſertim ſpecioſis Dæmagogorum ad vulgi adplauſum obvelatam argumentationibus, & ſuffragio nonnullorum haud obſcuri nominis & eruditionis confirmatam (cum vappam etiam ſæpe commendet hedera, & falſum ſi niteat favore & eloquio cum voluptate audiatur) fortiori rationum mole velle expugnare: attamen hæc nihil morans, cum Reipublicæ quàm maximè interſit, *Regium Nomen* apud omnes inviolabiliter ſartum tectumque ſervari; pro hujus ſublimitate & exemptione, mediâ quaſi incedens viâ, neque Tyrannicum imperium cum Machiavello per fas & nefas ſtabiliendo, neque cum Monarchomachis Diadema populi plantis ſubjiciendo, cum BONO DEO hîc aliquid diſſerere, & adverſariorum impoſturas captioſaſque ſtrophas ſparſim in tranſcurſu ad veritatis limam revocare volui. Itaque ut in ipſo velitationis frontiſpicio ſtatus negotii appareat, ad quem corroborandum reliquæ theſes colliment omnes, generale hocce propono *Theorema*; videlicet,

*Principem (1) legitimum, (2) ſolium ex pleno Majeſtatis jure conſcendentem, (3)*

*ſolo* DEO *minorem,* (4) *univerſo populo ſuperiorem,* (5) *atque ideò legibus ſolutum, omniq́ à vi & coercitione populi liberum eſſe:* (6) *nullamq́ ob cauſam, quamdiu Principis eſſentiam in ſe ipſo non deſtruit,* (7) *licere ſubditis* (8) *contra eum rebellando inſurgere, aut arma movere,* (9) *ſed eoſdem omni obedientiæ cultu jugiter huic obligari:* (10) *tam jure Divino,* (11) *Naturali & Gentium,* (12) *quàm Civili* (13) *ipsâq́ Reipublicæ utilitate, hoc ipſum comprobante atque demonſtrante.* (14)

II.

PRINCIPIS NOMEN VARIAS ſortitur ſignificationes, ut oſtendit. *Petr. Greg. Tholoſ. de Repub. lib. 6. c. 4.* Nos hoc loco Principem intelligimus illum, penes quem in Republica eſt ſumma poteſtas. Nihil autem intereſt, ſive is Imperatoris, vel Regis, aut quocunque alio inſigniatur titulo. *Matth. Stephan. de juriſdict. lib. 2. part. 1. cap. 1. in princip. num. 10. & ſeqq. item ejuſd. membr. 2. num. 1. & ſeqq. Dn. D. Beſold. in Colleg. ſuo Politic. claſſ. 1. Diſputat. 5. theſi 7.* In jure Civili cum abſolutè Princeps dicitur, de Imperatore Romano ſermo intelligitur, *§ ſed & quod Principi. Inſt. de I. N.G. & Civil. l. 1. in princ. ff. de conſtit. Princip.* Sic Juſtinianus *in proœm. Inſtit.* Imperatorem, Principem Romanum nominat: Reges quoque ſummi Principis nomine appellari, extra dubitationis aleam ponitur. Princeps enim quaſi primum caput, ſeu præſtans, & præcipuum ali-

alicujus rei dicitur: *Tholoſan. lib. 6. cap. 4.* quod etiam quilibet Rex in ſuo eſt territorio. Sic Æneas, Rex & Reipublicæ Princeps, itemque Imperator, nuncupatur, *Novel. 47. in princ. ut præp. Nom. Imperat.* Ita de reliquis ſummam poteſtatem in Republicâ habentibus, licet quemcunque uſurpent titulum, ſentiendum. De quibus fuſiùs Tholoſanus *de Repub. lib. 6. cap. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.*

II.

Pro incolumitate legitimi Principis hîc diſputamus. Legitimus is habetur, qui ordinariâ electione, ſorte, teſtamento, jure hæreditario, juſto bello ſubſequente cum victis tranſactione (quo jure Carolum M. Imperio potitum fuiſſe; & eodem Reges Francorum Gallias obtinuiſſe Trithemius *in Chron. Hirſaug. & Compend. Annal.* aliique Hiſtorici teſtantur) cœleſti oraculo, vel quibuſvis aliis mediis à lege probatis, ad capeſſenda ſceptra ſublimatur. *Petr. Gregor. Tholoſan. de Repub. lib. 26. cap. 7. Ioh. Bodin. de Repub. lib. 2. cap. 5.* Planè autem ab hac diſputatione Tyrannos in titulo rejicimus, qui injuſtis armis, vi, fraude, & aliis illicitis modis, veros & legitimos Principes de ſolio deturbant, aut liberas Reſpublicas invadunt, alienam iniquo titulo uſurpantes Majeſtatem: qui cum à DEO ordinati non ſint (perverſum enim ab ipſo nihil) nec ullo legitimæ poteſtatis clypeo tegantur; tanquam hoſtes publici, ſine ullo ſacrilegii crimine, à quibuſvis, tàm univerſis, quàm ſingulis offendi, depelli, & trucidari poſſunt. *Plutarch. in Arat. & Timoleont. Lucas de Penna. in l. unic. verſ. porrò Tyran. C. ut armor. uſ. inſc. Princ. interd. Bodin. de Repub. lib. 2. cap. 5. Tholoſan. lib. 26. cap. 7. Guilielm. Barclai. de Regno & Regal. poteſt. lib. 3. cap. 2. Henning. Arniſa. Relect. Polit. lib. 2. cap. 3. ſect. 7. & de auct. Princ. ſemper inviolab. cap. ult. num. 12. 13. 14.* Quod etiam evidenter ſacræ demonſtrant paginæ: ut Eglon detinens DEI populum in injuſtâ ſervitute, juſtè ab Aodo interemptus eſt; *Iud. cap. 3.* Sic quoque Gedeon contra Reges Midianitarum, & Amalechitarum *Iud. cap. 6. & 7.* Principes Judæ contra Athaliam, *4. Reg. cap. 2.* Mathathias contra Antiochum *1. Macab. cap. 3. 4. 5.* Debora & Barac cum univerſo Iſraël contra Jabinem Chanahanæum *Iud. cap. 4.* Viri David contra Abſalonem *2. Sam. cap. 18.* omnes injuſti tituli Tyrannos, jure optimo arma moverunt, & quoſdam interfecerunt.

runt. Item de Mago illo, qui defuncto Cambyſe Smerdin fratrem ejus, & Imperii ſucceſſorem legitimum, interemit; ut ſummâ rerum potiretur, juſtum ex ſententiâ ſeptem optimatium Perſicorum ſumptum eſt ſupplicium. *Iuſtin. lib. 1. Herodot. lib. 3.* Lex quoque Valeria tales Tyrannos è medio tollere, etiam ſine cognitione cauſæ permittit: *Plutarch. in Publicola.* Quod tamen nos de illo non interpretamur, qui ſaltem affectatæ tyrannidis reus cenſetur; nec adhuc aperta ſuæ intentionis dedit documenta; præſertim ſi contra illum proceſſu judiciali actio intentari poſſit; ut eleganter Lex de hoc à Solone lata, quam recenſet *Plutarch. in d. loc.* oſtendit: ſed illum cum Bodino *de Repub. lib. 2. cap. 5.* intelligi volumus, qui apertâ vi Rempub. oppugnat, militem conſcribit, arces munit, plebem ſeducit, judicioque ſe ſubducit, & neglectâ viâ juris, factum pro jure æquiſſimo amplectitur. De hujus cùm liquidò conſtet ſceleratâ dominandi libidine (exiſtimamus enim detrimentoſum fore Reipublicæ, ſi ejuſmodi faces ardenres non priùs extinguantur, quàm ita Rempub. incendant, ut poſtea nullum adhiberi poſſit remedium) adverſus ipſum ad dictæ V. legis tenorem procedi poſſe aſſerimus. Nihil autem intereſt an ille, qui injuſto titulo acquiſivit Imperium, poſteà benè vel malè, leniter aut crudeliter, imperet, quin tyrannus in titulo maneat, & ut antea, ſummo jure à populo reprimi & puniri poſſit. Non enim expiat fœnus & uſuram, qui ex fœneratis liberaliter dat pauperibus: nec furtum propterea laudabile eſt, quòd benè collocetur. Nam peccatorum macula virtutum non eluitur ſpecie; nec pietate tali expiatur, quod ſcelerate commiſſum eſt. Et quemadmodum ſacrificium DEO (licet per ſe ei gratiſſimum) ſi de ſubſtantiâ pauperum aut aliorum iniquè fuerit ſublatum, non placet, ſed magis ad iram excitat: *Proverb. 3. & Eccleſiaſt. 34:* ita etiam legitima & juſta adminiſtratio (quæ in ſe ſpectata res eſt optima & omni laude digniſſima) Tyrannum in titulo non excuſat, vel ejus ſceleri, quod nullâ coaleſcit virtute, aliquod honeſtum aut elegans obducit velamen. Undè prudentiſſimè ſentiebat D. Auguſtinus *c. neque enim §. 14. quaſt. 5.* inquiens, *Tyrannicæ factionis perverſitas laudabilis non eſt, ſi Regiâ clementiâ Tyrannus ſubditos tractet; nec vituperabilis ordo Regiæ poteſtatis, ſi Rex ſeveritate Tyrannicâ ſæviat.*

alind

*Aliud enim eſt, injuſtâ poteſtate velle juſtè uti: aliud juſtâ poteſtate velle injuſtè uti.* Ideoque Jacobus Artevillanus, qui Gandavenſium imperium per ſeditionem invaſerat, (licet in multis optimè adminiſtraverit Rempubl.) non populi effugit manus priſtinæ libertatis vindices. *Froſſard. lib. 1.* Quod ſi ejuſmodi Tyranni conſenſum elaboraverint populi, non aliter tamen excuſantur, & immunitate legitimi fruuntur Principis, quàm ſi conſtet, conſenſum fuiſſe purè ſpontaneum, & ab illis profectum, qui jure conſentire poterant. Ubi verò probari poteſt hunc conſenſum aut metu juſto & ſufficienti (qualis in virum conſtantem & fortiſſimum cadere poſſit; *Ariſt. Eth. 3. cap. 1. 6. & 7. l. 6. ff. quod. met. cauſ.*) extortum; ſicuti Coſmus Medices Senatum Florentinum interempto propinquo ſuo Alexandro, ut ſe Ducem perpetuum crearent, magnâ tormentorum vi emiſsâ coegit: *Mich. Brut. lib. 1. Hiſt. Florent.* aut quorundam ſeditioſorum, imperitorum & pravorum hominum cæco applauſu collatum eſſe; ſicuti Abſalonem factioſa turba in Iſrael, rejecto Davide Rege ſuo legitimo, elegit; *2. Sam. cap. 16.* tunc eoſdem adhuc tyrannos manere, explorati juris eſt. Quia coacta voluntas, non eſt voluntes; *d. tot. tit. quod met. cauſ.* Et conſenſus ex errore profectus nunquam jure firmus vel ratus habetur; *l. cum teſtamentum 8. C. de jur. & fact. ignorantiâ. l. ſeq. Cod. eodem. l. ſi. per errorem 15. ff. de juriſdict. Ariſtot. 3. Eth. cap. 1.* Conſenſum autem tacitum, quem confirmavit præſcriptio immemorialis (quæ vim privilegii habet, *l. hoc jure. §. ductus aquæ ff. de aquâ quotid. & æſtiv.*) continuâ ſucceſſione, & ſine interruptione hanc injuſti tituli maculam abluere ſtatuimus. Hiſce modis tyrannos tales aut rejici, aut legitimos Principes conſtitui, præter plures alios teſtantur Joh. Bodin. *de Republ. lib. 2. cap. 5.* Tholoſan. *de Republ. lib. 26. cap. 7.* Henning. Arniſæus, *relect. Polit. lib. 2. c. 3. ſect. 7. & de auth. Princ. ſemper inviolab. c. 4. n. 13. & 14.*

III.

Supra Principem diximus, penes quem ſumma in Repub. eſt poteſtas. Ne a. nos cum illis in errorem incidamus, qui ſive ignorantiâ ſive malitiâ hanc Majeſtatis plenitudinem confundunt perperam cum ſummo honore; ut Danæus *lib. 6. Pol. Aph. 1.* Brutus *vindic. cont. Tyran. quæſt. 3.* Althus; *polit. cap. 18. & 38.* exemplum petentes

 tentes

rentes à Regibus Lacedæmoniorum, & aliis qui præter nudum titulum nullâ ferè gaudebant poteſtate: *Xenophon. de Repub. Lacæd.* idque indiſcriminatim ad veros & abſolutos Reges accommodantes: ſedulò diſtinguendum cenſemus, inter Principem precarium ſeu conditionatum; & abſolutum, qui jura Majeſtatis proprio poſſidet jure. Hic verus Monarcha & ſummus in Regno conſtituitur; utpote in quem omnis poteſtas populi, (nullâ præviâ ſtipulatione Majeſtati quidquam derogante) transfuſa eſt: ille neutiquà, quippe cujus poteſtas certis circumſcribitur cancellis. *Bodin. de Repub. lib. 2. c. 5. Henning. Arniſæ de jur. Majeſt. lib. 1. c. 1. et 7. item de Auth. Princ &c. cap. 1. num. 4.* Ideòque ſi ſtatus ſit Democraticus, ſummum Imperium manet penes populum; ut in Republ. Laced. Reges titulotenus fuêre: civilia negotia ex populi pendebant arbitrio: *Xenophon. in d. loc.* ſin autem Ariſtocraticus, penes optimates; quemadmodum Dux Venetus ſolo fruitur honore, Senatus verò reverâ imperat. *Contar. de Republ. Venet.* Principem enim & populum ſimul ſummam habere poteſtatem, impoſſibile eſt. Nam ut duo infinita in rerum naturâ ponere non poſſumus: ita in ſimplici aliquo Reipubl. ſtatu duas pluresvé ſummas poteſtates aſſerere, (cùm Majeſtas per ſe ſit individua; & quod ſummum eſt ſuperius aut æquale habere nequeat) abſonũ & à ratione eſt alienum: ut ex ipſa naturâ & differentiis Rerumpublicarum eleganter deducit, Guilielm. Barclai. *in d. tract. de Regno, &c. lib. 3. cap. 4.* Quapropter populus vel optimates iſti, qui Principe ſuo pactionato ſuperiores ſunt, etiam juriſdictionem, imperium & conſequenter animadverſionem in illũ habent *l. nam Magiſtratus ff. de recept. qui arbitr. recep.* ſi is à pactis receſſerit, & negotia ſibi commiſſa malè adminiſtraverit, vel quocunque modo obligationi ſuæ non ſatisfecerit, poſſunt tanquàm judices competentes eundem reprimere depellere & punire *Henning. Arniſæ. de Auth. Princ. cap. 1. n. 4. Ioh. Bodin. lib. 2. c. 5.* At verum & integræ Majeſtatis Monarcham, nullius præter Dei imperio ſubjectum, etiamſi ſceleratè & ad libidinem dominetur, ab hujuſmodi populi cenſurâ, & animadverſione tutum eſſe debere, firmiter aſſeveramus. Quod verò occlamant Brutus *in d. Vindic. quæſt. 3.* aliique Monarchomachi; omnia Regna adiri hoc pacto; *benè imperanti benè ob-*

*temperetur; ſecus dominanti, populus ſine crimine perfidiæ publicè renunciet*; idque ex duplici fœdere, inter Deum & Regem unà cum populo, & inter Regem & populum, adſtruere conantur; quàm ſit falſum & frivolum, luculenter, ut nihil addi poſſit, oſtendunt viri doctiſſimi, Guilielm. Barclajus *de Regno Regaliq; poteſt. libr. 4. cap. 8. & 9.* Dn. Præſes *in diſquiſit. de Leg. Reg. th. 99. & ſeqq.* Henning. Arniſæ. *de Auth. Princ. cap. 1. num. 9. & ſeqq.* Neque ad Rebellionem populi firmandum, & ex abſolutis Principibus conditionatos faciendum facit; quòd plerunque omnes promittant, & juramento confirment, velle ſe præſtare ſubditis maniburgium, (quale fuit olim juramentum Ducum Burgundiæ) defendere Eccleſiam, curare utilitatem publicam, & in omnibus boni velle fungi Principis officio. Nam nulla hic imponitur conditio. Natura ſiquidem conditionis ea eſt; ut quis propter conditionem, quam ſubjit, teneatur p̄ſtare ea, quæ conditione non ſuſceptâ omittere poterat. Princeps autem, qui in hæc juravit, æquè fuit ante obligatus, etiamſi non juraſſet: cùm naturali quâdam obligatione ad talia præſtanda obſtringatur. Præterea quod quis ex communi officio facere tenetur, ad id ex pacto non obligatur: at promiſſa hæc omnia ex eſſentiâ Principalis dignitatis, & ipſo officio profluunt: quâ igitur ratione conditiones appellanda aut Principes hi pactionati dicendi? Non enim tales Principes in capita ejuſmodi, quæ eſſentiam & commune Principum officium tranſgrediuntur aut imminuunt, ſacramentum dicunt; quod tamen faciunt Rex poloniæ, Dux Venetiarum, & plures alii; ſed talia juratò promittunt illi, quæ ex Regii officii formula debent etiam injurati; jurant tamen, ut majorem ſaltem faciant fidem ſubditis, & populi magis ſibi concilient favorem. Unde & corruit abſurda adverſariorum illatio; quòd ſomniant omnes Principes ex pacto Regna adire; & ſubditis tantum licere in Principes abſolutos, quantum in conditionatos: cùm ratio longè ſit diverſa. Nàm ut hi ea pollicentur, quæ Majeſtatem minuunt, atque ita populo efficiuntur inferiores, judicioq; ejus ſubjiciuntur; ſic illi in omni pacto poteſtatē ſuam illibatam, & ſuperioritatem ſemper exemptam ſervant. Forma igitur hujus fœderis haud quidquam illis adimit; (niſi quòd fortiùs liget conſcientiam) quin

ſemper

ſemper populo ſuperiores & inviolabiles exiſtant. Vanitatem flagitioſi Antagoniſtarum argumenti copioſiùs demonſtrat Heningus Arniſæus *de jur. Majeſt. lib. 1. cap. 6. & in tr. de Auth. Princ. cap. 1. n. 9.* Ridiculè quoq; argumentatur Brutus *in Vindic. pag. 15. 23 & ſeqq* ubi Principes omnes tanquam vaſallos Deo obligatos eſſe cenſet; & ſicut vaſallus propter commiſſam feloniam amittit feudum, ità quoque Regem, qui in legem Divinam juraverit, juramento non completo, Regno privari ſtatuit; indeque populo Reges deponendi poteſtatem elargitur. Sed quàm falſis, & ruinoſis hoc argumentum fulciatur fundamentis, eleganter & accuratè exſequuntur Guil. Barclajus *in d. tract. de Regno &c. lib. 4. cap. 2.* Dn. Præſes *in d. diſquiſit. ſuâ de Leg. Reg. th. 99.* At verò fac eſſe, eandem eſſe rationem inter Deum & Dominum Feudi, Principem & Vaſallum, Regnum & Feudum; Quid tamen hæc ad populi vim animandam? Deus quidem liberrimam obtinet poteſtatem Principes ſceleratos de ſolio deturbandi: at populi poteſtas hîc eſt nulla. Vaſallus quando committit feloniam, feudum quidem potentialiter amittit; ſed quis illum ſuâ authoritate feudo actualiter privet? Dominuſné; an eo invito ſubditi, in quos juriſdictionem vaſallus à Domino ſibi conceſſam habet? Summâ ſanè injuriâ Dominus feudi afficeretur, ſi in maximum ejus præjudicium ſubditi vaſalli ipſum vaſallum feudo ſpoliarent: par quoque ratio hîc eſt. Quando enim Deus propter immenſam ſuam miſericordiam abſtruſaque conſilia parcit Principi impio, & ſcelerato, nec eum adhuc ſolio dejicere accelerat: nonné in Deum injurioſi fierent ſubditi, alienam invadentes & uſurpantes juriſdictionem, ſi hujuſmodi Principem, ſolius Dei arbitrio ſubjectum, diademate exuere tentarent? Nulla hercle eſt alia conſequentiæ ratio: *Deus Regem peccantem deponere & punire poteſt: E. & ſubditi:* quàm ſi dixeris: *Princeps habet poteſtatem conſtituendi, & deponendi Magiſtratibus: E. & illi, quibus hi præficiuntur.* Quod quàm à ratione alienum, etiam lippis (ut dicitur) & tonſoribus liquet.

IV.

Sublimitatem Principis arguit. *l. 1. C. de vet. jur. enucleando. Novel. 28. cap. 4.* Et Tertullianus *in apologia adverſus gentes,* inquit:

*Cœlum*

*Cœlum denique debellet Imperator, Cœlum captivum triumpho ſuo invehat non poteſt; ideò magnus eſt, quia cœlo minor eſt.* Et paulò pòſt: *Sed etiam quòd temperans Majeſtatem Cæſaris infrà* DEUM, *magis illum commendo* DEO, *cui ſoli ſubjicio; ſubjicio autem, cui non adæquo.* Et rurſus *ad Scapulam* de Imperatore loquitur: *Sic enim omnibus major eſt, dùm ſolo* DEO *vero minor eſt.* Quem ſequutus *Agapet. Diac.* dicit, *Rex quidem eſt omnium Dominus, ſervus autem* DEI *cum omnibus. Stob. ſerm. 27.* Hanc Divini Numinis afflatu inſpiratam ſententiam, *D. Hieron. tom. 1. Epiſt. 46. Chryſoſt. in homil. 2. ad pop. Antiochen.* & alii Eccleſiæ Doctores amplexi ſunt. Quantò rectiùs ſanctiſſ. illi Patres ſenſerunt, quorum animus procul ab omni adulatione, procul à falſis opinionibus fuit; quàm ingenioſi iſti Regicidarum patroni, Brutus *in Vindic. quæſt. 3.* Roſſæus *lib. 1. cap. 1.* Boucherius, *de juſt. abdicat. Henric. 3. libr. 1. cap. 10. & 18.* Althus. *Polit. cap. 18.* Hænon. *diſput. Polit. 2. & 9.* qui ſtrophis & argutiis ſuis ſacratiſſimam Principis Majeſtatem populi pedibus calcandam ſubjiciunt; & hunc illâ ſuperiorem eſſe falsò contendunt? Quorum error cùm tam ſufficienter, ut nihil ad evidentiam deſiderari poſſit, ab Henning. Arniſæ. *de jur. Majeſt. lib. 1. cap. 3. & in tr. de Auth. Princ. cap. 1. num. 10. & 11.* refutatus ſit, nos ad cætera properantes figmentis illis diutiùs immorari nolumus.

V.

Cùm igitur Princeps ſolo Deo inferior ſit, neceſſum eſt ut omnibus ſuis ſubditis ſuperior exiſtat. Eleganter Tertullianus *in Apolog. adverſ. gent. Sciunt,* inquit, *Imperatores, quis illis dederit Imperium; ſentiunt Deum eſſe ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt; à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes Deos, & ſupra omnes homines.* Et Optatus *cont. Parmen. Super Imperatorem non eſt, niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem.* Nec quidquam nobis negotii faceſſit, quòd Monarchomachi futiliter diſtinguunt inter cives ſingulos in Republicâ, & populum univerſum: ſingulis Principem ſuperiorem, univerſis verò inferiorem eſſe aſſerentes. Nam cùm ſuperioritas hic ex unius in alterum æſtimetur imperio, quod non niſi unum in unâ Repub. poteſt eſſe ſummum: ſequitur, Principem qui omnimodam habet poteſtatem, tàm univerſis quàm ſingulis ſuperiorem eſſe. quippe ſi populus in Principem, & Princeps in populum re-

ciprocam haberent juriſdictionem, neutrum diceretur Imperium ſummum; ac proinde ſtatus mixtus (de quo nobis non eſt ſermo) aut Anarchia non Monarchia efficeretur, ut pluribus exſequitur Bodin. *de Republ. lib. 2. cap. 1.* Porrò cum tres ſint Reip. ſtatus ſimplices, qui non ex ſpecie quadam externa, ſed modis imperandi parendique diſſimilibus, pro ratione eorum, qui præſunt, differentiam capiunt: *Ariſt. lib. 3. Politic. c. 5. hinc ſummum Imperium aut penes unum eſt, aut paucos, aut multos.* Ratione autem iſtius regiminis, quod ſingulos concernit, nulla eſt in hiſce Rerumpublicarum formis diverſitas: cùm Princeps ſi in ſingulos duntaxat haberet imperium, nihil diſtaret à Magiſtratu in populari ſtatu precario, qui iiſdem etiam imperat: ſummaque poteſtas in utroque ſtatu maneret penes populum univerſum. Sic quoque ſi ſinguli ſolùm Principe eſſent inferiores, haud daretur aliquod parendi diſcrimen: quoniam ſemper ſinguli tam in populari, quàm Monarchico dominio ſerviunt; eademque eorum eſt perpetuò ſors & fortuna. Quâ igitur ratione, ſi adverſariorum diſtinctio vero conformis, atque Princeps populo univerſo inferior eſſet, different Reip. formæ; ita ut imperium eſſet aut penes unum, paucos aut multos, cùm ſemper penes multitudinem reſideret? Aut quomodo parerent diverſi in Democratia, Ariſtocratia, & Monarchia, cùm ubique ſubjecti eſſent iidem? Ideoque ſi ſimplicia hæc regimina diſcernere velimus: neceſſum eſt, ut fateamur, populum univerſum Principe eſſe inferiorem: eumque hic ſubjici, qui in Democratica liber & ſui ipſius Dominus cenſetur. Hinc Civitates Doctorum calculo liberæ dicuntur, quæ ſine Regibus vivunt: ut oſtendit etiam Bartol. *ad l. 3. ff. de minorib. 25. annu hiſce verbis: Civitates tamen, quæ Principem non recognoſcunt in Dominum, & ſic earum populus liber eſt, poſſent hoc fortè ſtatuere: quia ipſa civitas ſibimet Princeps eſt.* Sanè de univerſo populo, & non ſingulis hæc intelligi debent: quia ſinguli cives in Republica libera (ut diximus) non magis, quàm ſub Monarchia liberi ſunt. Idemque expreſsè Iuriſconſultorum ille Coryphæus affirmat, dum ait, Civitates iſtas, quæ non ſunt ſub imperio Principũ, poſſe aliquid ſtatuere, quod (ut ex contrario patet) ſi in Monarchia vixiſſent, facere eis integrum non eſſet; additque ratio-

rationem, *quia ipſa Civitas ſibimet Princeps eſt*: cum ſinguli per ſe aliquid ſtatuere, vel ſibi ipſi Domini eſſe nequeant. Sic etiam Livius, *lib.* 2. iſtos populos *ſervientes* vocat, qui Regum recognoſcunt imperium; inquiens, *C. Mutius adoleſcens nobilis, cui indignum videbatur populum Romanum ſervientem, cum ſub Regibus eſſet, nullo bello nec ab hoſtibus ullis obſeſſum eſſe, liberum eundem populum ab Hetruſcis obſideri, cujus excercitus ſæpè ſuderit.* An hîc univerſi populi, an ſingulorum tantùm ſervitutem, quam ſub Regibus tolerare cogebantur Romani, intelligat author, quilibet ex hiſtoriâ Romanâ dignoſcere poteſt. Exactis enim Regibus univerſus quidem populus eſt liber factus; ſinguli autem in priſtina manſerunt conditione: imò interdum graviora eis poſteà onera quàm ſub Regibus impoſita fuerunt. Et vix tot & tàm grandes collectæ ſub Tarquinio, quàm Levino conſule, in publicum delatæ ſunt. *Liv.lib.26.* De univerſo igitur populo, qui ſervitii onus excuſſit, ſingulis id jugiter ſufferentibus, eſt intelligendum. Denique apertiſſimum erroris adverſariorum lex Regia præbet documentum, quam ita nobis Iuriſconſultus celebratiſſimus Ulpianus deſcribit: *Quod Principi placuit legis habet vigorem; utpote cum lege Regia, quæ de imperio ejus lata eſt, populus ei & in eum omne ſuum Imperium & poteſtatem conferat. l.1. in princ. ff. de conſtit. Princip.* Notanter hic ponitur *Imperium omne* Principi eſſe collatum. Quare cùm populus *Omni* ſuperioritate ſe ipſum privârit; nihil certè juris reliqui in Principem habere potuit. Et ſimul intelligitur conceſſionis à populo factæ finis: videlicet, ut Princeps eâ poteſtate in *eum*, id eſt, populum (nam relativum *eum* hîc pro reciproco *ſe* eſſe poſitum, communis Doctorum eſt ſententia; quam præter Græcos & Latinos authores etiam ſequuntur Duaren. Weſemb. & Hottomannus) poſteà uteretur, ſine ullâ diſtinctione factâ inter ſingulos & univerſos. *Vbi igitur lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. leg. de pretio. & ibi gloſſ. Bart & alii. ff. de publ. in rem act.* Ac tandem ſi perſonas Imperium hocce *Omne* Principi conferentes intueri velimus; apertiſſimè conſtat, populum fuiſſe univerſum. Singuli enim per ſe conſiderati, nullam unquam habuerunt poteſtatem; ac proinde eam in Principem transferre haud potuerunt. *Cùm nemo plus juris in alium trāsferre poſſit, quàm ipſe habet. l. 54. ff. de Reg. jur.* Apparet ergo (Monarcho-

machorum ſic dirutâ baſi, cui reliquas ſuas ſtrophas ſuperſtruere nituntur) ex natura ſummi imperii, formis Rerumpublicarum, & ipſa hac L. Regia, Principem non tantùm ſingulis, ſed & univerſo populo ſemper eſſe ſuperiorem.

V I.

Præcedentibus ita diſcuſſis Quæſtio exoritur non inelegans, nimirum: *An Princeps* ut omnibus aliis, ſic etiam *Legibus ſit ſuperior, iiſque ſolutus?* In qua decidenda quidam Principem ita à legum obſervantiâ abſolvunt, ut potiùs animali noxio, quàm homini rationis participi ſit comparandus. Quidam etiam legum vinculis tali modo coarctant, ut non ampliùs Majeſtatem ſuam auguſtiſſimam retineat illæſam, ſed calatis populi comitiis ſubjectus, Magiſtratuſque precarius efficiatur. Alii verò majore prudentiâ & animi moderatione, rem conſiderantes paulò altius, juxta illud:

*Medio tutiſſimus ibis:-*

ita nodum quæſtionis ſolvunt, ut ne quidquam ſacræ Majeſtati detrahatur, nec ex ſumma & abſoluta poteſtate fiat effrænis licentia, & plenitudo tempeſtatis. Diſtinguunt enim inter leges Divinas, Naturales, Gentium, & Civiles; ac quoad DEI, Naturæ, & Gentium Leges, Principem neutiquam ſolutum ſtatuunt. *Inferior ſiquidem non poteſt violare jura & ſcita ſuperioris. Clem. ne Romani. in princ. de elect. cap. cum inferior. & ibi gl. in verb. ligare de Majorit. & obed.* DEO autem omnium conditore, & naturâ rerum univerſarum quaſi communi matre Principem, qui Dei eſt ſubditus, & civis mundanus, ac ratione naturæ pari cum cæteris hominibus cenſetur conditione, *Sap. 7.* inferiorem eſſe, nemo inficias ibit. Ratione verò legum Civilium & poſitivarum, quas Princeps ipſe in Republicâ condit, cùm eis ſuperior ſit (*leges enim ſunt ſcita, ſuperioris potentiæ. cap. factæ diſt. 4. l. 1. ff. de conſtitutionib. Princip.*) illis eundem abſolvunt, iſtiſque non teneri, ſed eas intuitu ſalutis publicæ abrogare, mutare, novas ferre, pænaſque in eis propoſitas pro varia circumſtantiarum contemplatione mitigare aut exaſperare, propriâ authoritate poſſe aſſerunt; & ita Principem reverâ legibus ſolutum eſſe affirmant. Cui ſententiæ & nos ut rationi & veritati quàm maximè congruæ libenter ſubſcribimus.

Cùm

Cùm autem de jure Principis nobis hoc loco maximè ſermo ſit, quatenus illud in delicti impunitate conſiſtit: commodum eſt diſtinguere, inter vim legum *Directivam*, quæ hominum actiones ad juris normam dirigit atque componit; *& Coactivam*, quæ inſolentes animos metu ſupplicioruum frenat, & refractarios facinoroſoſq; pœnis coercet. Reſpectu *Directivæ*, legibus quibuſcunque, quatenus pietatis, honeſtatis, & æquitatis ſuadent exercitium, Princeps quilibet ſubjectus eſt. *Non enim qui eum legibus ſolvit, à ratione abſolvit*; ut oſtendit Andr. de Iſern. *in prælud. Feud. quæſt. 2. num. 36.* dicens, *Illos, qui aliàs non tenentur ſervare leges, ut leges; teneri eas ſervare ut rationes.* Et Baldus: *Licet Princeps ſit ſolutus legibus, eſt tamen animal rationale & politicum. in l. 2. col. 8. de ſervit. & aqua duct.* Aureæ igitur ſunt Impp. voces in jure paſſim obviæ: quibus ſponte ſe legibus ſubmittunt: *Digna vox*, ajunt Theodoſius & Valentinianus, *eſt Majeſtate regnantis, legib. alligatum ſe Principem profiteri. l. 4. C. de C.ll. & conſtit. Princip.* Et Severus atque Antoninus, *Licet enim* (inquiunt) *legibus ſoluti ſimus, attamen legibus vivimus, §. ult. in fin. Inſt. quib. mod. teſt. infirm.* Et immortali nominis gloria digni ſunt, tum qui ſalutare Mæcenatis monitum ſequuntur, ita Imp. Auguſtum alloquentis: *In ſumma conſilium tibi do, ne quando abutaris potentiâ tuâ; neque ea putes eſſe diminutionem ejus, ſi non omnia ſimul facias quæ poſſis; ſed quantò magis omnia quæ ſtatueris perficere potes, tantò magis cura, ut optima quæque tibi proponas. Dion. lib. 52.* tum qui regulam hanc rationi convenientem ſervant, *Ut non patiantur ſibi licere quantum licet: d. l. 4. C. de ll. c. quia per ambitios. in fin. de reſcript. in 6.* Laudatur itaque meritò Antiochus III. ad Civitates, & præſides Aſiæ, ſic ſcribens, *Si quid contrarium legibus per epiſtolam juſſero, nolite parere; ſed me ignoratione lapſum putetis. Plutarch. in Apopht.* Ut autem excelſa eſt hæc virtus & verè Regia, amore recti ſeſe legibus ſubjicere: juxtà Claudiani verba, qui Honorium in hunc modum adhortatur:

*Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit,*
*Occurrat, mentemq; domet reſpectus honeſti.*

Et Germani illius vatis primarii: *lib. 8. de reb. geſt. Frideric.*

*Nam nihil, ut verum fatear, magis eſſe decorum,*

 *Aut*

*Aut Regale puto, quàm legis jure ſolutum*
*Spontè tamen legi ſeſe ſupponere Regem.*

Sic exitioſus eſt ille tyrañicus faſtus, qui ad tales adulatorum blanditias, *Si lubet licet, an neſcis te Imperatorem eſſe, leges dare non accipere? Spartian. in Caracal.* omnia, quæcunque velit, honeſtè ſibi licere perſuadet. Exulet ſanè hæc decidendi ratio; *Sic volo, ſic jubeo, ſic pro ratione voluntas. Iuvenal. Satyr. 6.* Procul eſto & illud Caligulæ reſponſum; *Memento, mihi omnia in omnes licere. Eraſm. Apopht lib. 6.* Regum enim barbarorum & impiorum (ut cuidam Antigonus Rex Macedonum, omnia Regibus juſta & honeſta eſſe dicenti præclarè reſpondit) non Principum Chriſtianorum ejuſmodi ſunt verborum fulmina. Cùm itaque Principes ſupra communem hominum ſortem à DEO ideò evecti ſint; ut juſtitiam quærant, & ſalutem conſervent publicam: nihil illis tàm proprium eſſe debet, quàm ut ſuo exemplo alios ad legum obedientiam, & virtutis cultum, invitent. Quippe vita eorum ad regendos ſubditorum mores quàm maximè efficax eſt: juxta illud Claudiani,

*Componitur orbis*
*Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus*
*Humanos edicta valent, quàm vita Regentum.*

Secus ſi fecerint, etſi à nemine mortalium corripi poſſint, ſciant tamen, ſe habere DEUM ſcelerum omnium juſtum vindicem: qui tantò graviùs in eos animadvertet, quantò pluribus peccandi illecebra malis ſuis extiterint moribus. Hæc igitur eſt vis *Directiva*, quæ ad legis obſervantiam Principem movet; *ex honeſtate, non ex Neceſſitate: non ex neceſſitate, ſed voluntario obſequio: non ex neceſſitate quæ præcisè imperat, ſed Neceſſitate honeſtatis.* ut eleganter & nervosè loquitur, Alberic. Gentil. *diſput. de Princ. poteſt. abſolut.* Nam quoad legum vim *Coactivam*, Princeps legibus non ſubjicitur. Qui enim in Repub. ſummus eſt, ad legum obſervantiam ab inferiori cogi non poteſt: *argumento l. nam magiſtratus ff. de recept. qui arbitr. recep.* Principem autem in Repub. ſummum eſſe, ſuprà demonſtratum eſt. Hoc igitur reſpectu, id eſt, ratione ſubditorum, qui ipſo inferiores ſunt, Princeps coactivè legibus non tenetur

netur; ut interpretatur Harmenopulus, *lib. 1. Epit. t. 1.* dicens, *eo intelligendum eſſe ſenſu, quòd legibus non ſubjiciatur Princeps, videlicet, ſi delinquat, pœnâ non afficiatur.* Cui ſuffragantur Dion. *lib. 53.* Bartolus, Baldus, & alii JCti, & Politici celeberrimi quique. De DEI autem in Principem judicio & executione, nemo niſi Atheiſmo infectus dubitat. Nam ſi à mandatis Divinis abſceſſerit, feloniam committit contra DEUM; ſi leges naturæ everterit, perverſus homo eſt; & ſi contra virtutem, honeſtatiſque præſcriptum egerit, injuſtè agit: ideoque à DEO juſtiſſimè judicari, & ad leges obſervandas, utpotè à ſuperiore ſuo, cogi poteſt; quod ſubditi nec facere poſſunt, nec debent. Unde Imperator Juſtinianus A. inquit, *Quis eſt tanta authoritatis, ut Principem nolentem poſſit coarctare? Novel. 23.* Cui adſtipulantur etiam iſta Canoniſtarum vota; *Principem habere ſoli* DEO *de peccato rationem reddere. c. totam de pœn. diſt. 3.* Et *Facta ſubditorum judicari à judice, Principis à ſolo* DEO. *c. facta 9. quæſt. 3.* Hinc quoque eſt illud; quòd, cùm Papa in ſpiritualibus (ſecundum Pontificios) ſummus ſit, ei quoque jus & privilegium competat, ut à nemine hominum corrigi aut judicari poſſit, nec cuiquam niſi ſoli DEO facti ſui & innocentiæ rationem reddere teneatur. *c. in memoriam diſt. 19. c. aliorum 9. quæſt. 3.* Cujus rei luculentum eſt teſtimonium, in *c. ſi Papa. diſt. 40.* nimirum, *ſi aliquot animarum catervas in gehennam Pontifex perduxerit, attamen nemo eum idcircò in judicium vocare poſſit; aut dicere audeat; Papa cur ita facis?* Quod licet Papaliter dictum, id eſt palpabiliter falſum ſit; attamen quia Lex æſtimatur ex ratione, *argumento l. 17. ff. de ll.* commodè etiam ad noſtram aſſertionem probandam adhiberi poteſt: cum legis ratio hîc profluat ex ſuperioritate, & plenitudine poteſtatis; falsò etſi Papæ eadem ſit attributa. Rectè igitur & piè Divus Ambroſius: *in Apolog. Dav. cap. 4. Liberi ſunt Reges à vinculis delictorum, neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti Imperii poteſtate.* Et Gregor. Turonenſ. *lib. 5. cap. 17.* dum ſubditos ad Regem Chilpericum ita loquentes introducit: *Si quis de nobis O Rex, juſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, à te corripi poteſt; ſi verò tu exceſſeris, quis te corripiet? loquimur enim tibi, ſed ſi volueris audis, ſi autem nolueris, quis te damnabit, niſi is qui pronunciavit, eſſe juſtitiam. Aimon. lib. 3. cap. 26.* Sic Otto Friſing. *in epiſt. ad*

*Frideric.*

*Frideric. 1. Chronic. præfix. Cùm nulla inveniatur perſona judicialis, quæ mundi legibus non ſubjaceat, ſubjacendo coerceatur: ſoli Reges, utpote conſtituti ſupra leges, Divino examini reſervati, ſeculi legibus non coercentur. Vnde eſt illud tàm Regis quàm Prophetæ teſtimonium; Tibi ſoli peccavi.* Sed prædictam noſtram diſtinctionem, cujus beneficio nodus dubitationis in propoſitâ quæſtione evidenter ſolvitur, fruſtrà impugnare conatur Hænonius, *in diſput. ſuâ Politic. 9. theſ. 9.* enumerans aliquot exempla Principum & Regum, qui propter delicta & leges violatas à populo exauctorati, & ſupplicio affecti fuerunt; indeque inferens, eos non magis à legum vi *Coactivâ*, quàm *Directivâ* immunes exiſtiſſe. Nam primò hîc conditionatos, in quos populi licitum eſt arbitrium, cum abſolutis: deinde perfectos tyrannos, ut Neronem, Caligulam, &c. (qui non magis Principes, quàm portenta hominum & hoſtes Reipublicæ, vocandi) cùm aberrante poteſtate, inſcitè confundit. Præterea etiam non hîc quærimus, quid factum in quibuſdam ſit; ſed quid fieri debuiſſet. Quæſtionem enim juris, non facti inſtituimus. Opinatur quidem Hænonius, ſed ſine ullo argumentorum pondere, quòd ſubditi ſummo jure poſſint ad legum obſervantiam cogere Principem, & propter prævaricationem eum punire. Nos autem Græcâ vivimus fide, nec prius illi aſſentimus, quàm nobis hoc demonſtraverit; majoris momenti æſtimantes aureum illud & cedro dignum cujuſdam Regis (credo Alexandri M.) dictum, quod recenſet & approbat D. Bernhardus *tom. 1. tract. de paſſion. Dom. cap. 4.*

*Non decet vinciri Regem, libera eſt Regis & ſemper ſalva poteſtas.*

VIII.

Quoniam igitur Princeps ſolo DEO minor, univerſo populo ſuperior, legibuſque ſolutus eſt, ſubditi contra illum rebellando inſurgere nequeunt, niſi ſanctionum Divinarum naturæque ordinem auſu profano invertere tentent. Nec hîc audiendi ſunt monarchomachi iſti, qui huic poſitioni noſtræ ſtatim reclamant: ſe quidem concedere, Principem quamdiu benè imperat, ſuoque probè fungitur officio, inviolabilem eſſe: ſed quando munus ſuum negligit, & in vitia prolabitur, tunc populum juramen-

mento fidelitatis laxari, & jure contra illum arma movere. At quis tam vacuæ mentis eſt, ut ambigat, An contra bonum Principem ſeditioſa arma induere poſſint ſubditi? Cuiq; magiſtratui precario, etiam privato homini hoc privilegium competit, ut, quamdiu non peccat, non puniatur. Nos autem auguſtiſſimam Principis perſonam, ſolius Dei immortalis vices gerentem ſupra communem ſubditorum ſortem multò extollimus altiùs: & ſtatuimus, Principem, ut maximè malo more extranumerum modumq; bonorum Principum digrederetur, & fieret adulter, homicida, crudelis, aut ſi Religionem mutaret, leges everteret, perjurium committeret, populum vectigalibus iniquis oneraret, civitatibus quibusdam ſeveriùs & injuſtiùs aratrum induceret, Nobiles & alios quamplurimos ex odio, irâ & ſuſpicione iniquè multaret bonorum direptione, exilio aut morte ipsâ, ſive quæcunq; alia impotenter patraret facinora, non tamen repudiari à populo, neque pro imperio vi in ordinem cogi vel aliter puniri poſſe. *Guilielm. Barclai. de Regno. &c. lib. 3. cap. ult. Tholoſan. de Repub. lib. ult. cap. ult. Bodin. de Repub. lib. 2. cap. 5. Arniſæ. de auth. Princ. & de jur Majeſt. cap. 3. & 6.* Ne verò quis opinetur, nos nimis tyranni partibus contra juſtitiam, & æquitatem favere; ſedulò eundem hæc verba in generali theoremate propoſita (*Quamdiu Principis eſſentiam in ſeipſo non deſtruit*) ponderare jubemus. Principem hîc defendimus aberrantem, poteſtate quidem ſuâ abutentem, eandem tamen retinentem; cui tali ſubditi obedientiam omninò debent: ſed illum, qui ſe exuit Principatu, & ita abutitur poteſtate ſuâ, ut eandem planè deſtruat, nec Principem dicimus; & huic tali nullam olim ſubditi obedientiam debent. Hoc enim populus jam factus eſt ſuperior, & propterea in illum animadvertere poteſt; reverſo ad ſe illo jure, quod in interregno habuit. Sed paucæ ſunt actionum ſpecies, quæ hunc pariunt effectum, & nos longè lateq; exſpatiati per

*terrasq; tractusq; maris, cælumq; profundum,*

duo ſaltem hujusmodi (ſpontali ejuratione exceptâ) commiſſorum genera deprehendimus, quibus ex Principe fiat Non-Princeps. *I. Quando is in perfectum & abſolutum degenerat tyrannum. II. Dum ſe alterius conſtituit ſubditum. VVinzet. adverſ. Buchanan.*

*pag. 275. & 269. Guilielm. Barclai. de regno lib. 5. cap. ult. Henning. Arniſa. de auth. Princ. cap. 4.* De primo caſu primùm diſpiciamus. Multi certè in tyranni definitione inveſtiganda enormiter errarunt, dum eum per mixtas quaſdam tyrannidis ſpecies, & notas à poſteriori petitas impropriè deſcripſerunt : vide *Henning. Arniſæ. relect. Politic. lib. 2. cap. 3. ſect. 6.* ac proinde eſſentiam ejus haud exprimentes, ſed cum eo Principem degenerem confundentes, rem magis intricatam quàm enucleatam reddiderunt. Cum autem tyrannis per omnia è diametro opponatur Monarchiæ, & non magis conveniat dicere *Princeps tyrannus*, quàm *Virtus vitioſa*, inq; una Repub. ſimul conſiſtere nequeant, (niſi tyrannidis ſpecies mixtas cum ſimplicibus confundere velis, quæ tamen monitore Johan. Caſo *in Sph. Civit. lib. 4. cap. 5.* accuratè inter ſe ſunt diſtinguendæ) neceſſum eſt talem adhiberi differentiam, quæ Principem contradiſtinctè à tyranno differre faciat. Definimus igitur cum Ariſtotele *lib. 4. Politic. cap.* 10. veram tyrannidem eſſe, *Imperium ſummum unius in pares ac meliores ad ſalutem privatam, non publicam.* Ex hac & contrariâ Monarchiæ definitione, quæ eſt, *Imperium ſummum unius in ſubditos ſalutis publica causâ*; facile diſcrimen inter *verum & abſolutum tyrannum*, ac *Principem degenerem ſeu tyrannicè imperantem*, innoteſcit. Qui itaque adulterio, ſævitiâ, hæreſi, ignaviâ, & aliis deplorandis vitiis polluitur, non ſtatim efficitur tyrannus. Diametraliter enim hæc non opponuntur officio Principali (quod eſt habere curam ſalutis publicæ) neque ejus eſſentiam deſtruunt. In uno namque ſubjecto concurrere poſſunt : quærere ſive non omninò negligere ſalutem publicam, & proindè Principem eſſe; & malè dominari, atque ita diſcolum eſſe. Quocirca is ſolus tyrannus habetur, qui ea committit, quæ planè Regalem tollunt eſſentiam, hoc eſt, ſi Princeps Monarcha, qui omnia ad totius Reip. ſalutem referre debebat, omnia ad ejus deſtructionem, & commoda ſua privata referat, deditâq; operâ omne imperii robur labefactare, Regnumque diſperdere improbè machinetur. Quibus obſervatis, tyrannum non ex quibuſcunque vitiis aliis, quantumvis gravibus, ſed ex ſola Reipub. everſione debere æſtimari; ac propterea inter ea ſcelera quæ Majeſtatem non attingunt, & quæ ipſam

tollunt,

tollant, diligenter diſtinguendum eſſe, liquidò apparet. Impropriè igitur valdè Iuſt. Lipſ. *6. Politic. c. 5.* & ejus aſſeclæ, tyrannidem definierunt, quòd ſit *Imperium violentum unius præter mores & leges.* Quippe tyrannidis eſſentiam hæc exorbitatio non adæquat, nec Monarchiæ per omnia opponitur. Conſequentia etenim nulla eſt: Princeps nō vivit ſecundum leges & mores; Ergo ſtatim de induſtria negligit ſalutem publicam, & Imperium deſtruit. Nec qui in quibusdam tyrannicè agit, continuò ſimpliciter & propriè eſt tyrannus. Nam ut quidam actus vitioſi non efficiunt abſolutè vitioſum: ita etiam mixtæ quædam actiones tyrannicæ perfectum non conſtituunt tyrannum. Licet enim in hiſce vel illis caſibus ſuum Princeps negligat officium, multa injuſtè agat, legibusq; pro lubitu utatur; dum tamen nihil directè in Reipublicæ perniciem machinatur, poteſt in cæteris Regni quærere commodum; ac proinde non tyrannus, cujus finis eſt (ut antea innuimus) Rempub. funditus evertere, nuncupandus eſt. Quapropter ut Phyſici inter corpus & corporeum, Ethici inter actionem bonam & virtuoſam, juſtam & juſtè factam, diſtinguunt; ſic nos cum Arniſæo *relect. Politic. d. lib. & ſect. n. 41.* Principem tyrannicum ſive aberrantem, à vero ſejungimus tyranno. Quâ ſanè diſtinctione ad illam diſcutiendam quæſtionem, *An tyranno reſiſtere liceat?* commodius nihil adhiberi poteſt. Eâ enim omiſsâ, tyrannus haud dignoſcitur. Ex quo factum etiam eſt, ut quamplurimi Principes, veluti Lotharius, Henricus IIII. Carolus Craſſus Imperatores; & Richardus Angliæ Rex, aliiq;, propter quædam delicta privata, ſtatim ab imperito vulgo, malè loco tyrannorum habiti ſint. Princeps igitur pravus ſeu errans, quamdiu ea non committit, quæ directè ejus eſſentiæ contrariantur, hoc eſt, ſi totius Reip. ruinam ſtudio non quærat; etiamſi multa per errorem in detrimentum & præjudicium Reip. peragat, (quippe pravitatem tyranni ex ſola intentione, prout bonarum & malarum rerumpublicarum differentia ex fine petenda eſt, æſtimari debere, eleganter oſtendit Henning. Arniſæ *relect. Politic. lib. 2. cap. 3. ſect. 6. n. 61. & ſeqq. & in tr. de auth. Princ. cap. 4. n. 11. 15.*) tamdiu Princeps eſſe non deſinit. Nam quemadmodum vinculum matrimonii non ſol-

ritur propter illa vitia; quæ vinculum illud non directè attingunt: ita etiam legitima poteſtas non amittitur iis peccatis, quæ eam deſtruendo non reſpiciunt. Et quis Achabum idolatriâ, Davidem adulterio & homicidio, aut Saulem nefandis cædibus aliisq; innumeris flagitiis, contaminatos, propterea Reges eſſe deſiviſſe dicat? cum ex hiſtoria ſacra appareat, eos poſtmodùm ut antè, Reges & unctos Domini à ſubditis & ſanctis prophetis vocatos fuiſſe. Præterea Samuel jus Regum populo Iſraelitico proponens, etſi multa enumeret quæ magis Principem iniquum, pravum, & crudelem, quàm bonum deſignant; tamen talia iniqua perpetrantem à populo de throno Regio dejici poſſe, nuſpiam dixit Samuel. Tyrannus autem, qui ſui officii planè oblitus, ſalutem publicam, ob quam ſolam Rex conſtitutus eſt, dolo malo negligit, tantummodò privata ſua commoda & ſceleratas libidines conſectatur, adeòq; deſtinato conſilio univerſæ Reipub. machinatur everſionem: ille talis, quia in eo nihil amplius ſupereſt legitimum, ſed omnia Deo adverſa & Reipub. pernicioſa, hoſtis regni efficitur; & non ſecus ſummam regni poteſtatem, ac dominus ſervi pro derelicto habiti dominium perdit. l. 1. & ult. ff. pro derelicto. Talis erat Caligula, qui unam cervicem populo Romano optabat, ut uno ictu amputari poſſet: & palam de ſui temporis conditione conquerebatur, quòd nullis calamitatibus publicis inſigniretur, ſubinde etiam exercituum cædes, famem, incendia, hiatumq; aliquem terræ precatus: & Senatui quoq; ſe nec civem, nec Principem ampliùs fore, dicebat. *Sueton: in Calig: cap. 30. 31. & 49.* Talis Nero, qui urbem Romam jam inflammatam diro incendio cum Senatu populoq; univerſo delere decreverat, ſedes ſuas aliò ſe translaturum minitatus. *Aurel. Vict. Tacit. Annal. lib. 15. Sueton. cap. 38. in Neron.* Talis Vitellius, qui nihil ſuaviùs olere, quàm civem occiſum affirmabat. *Sueton. in Vitel.* Qua ratione Sueci duce *Guſtavo Erichſonio* Principe animi & corporis dotibus cum paucis comparandó, contra *Chriſtiernum* Danum, quem paulò antè ſibi in Regem adſciverant, non tanquam Principem ſuum, (cum nihil is aliud, quàm totius Regni interitum, perniciem, & lanienam, crudeliter moliretur) ſed ut communem hoſtem, juſtiſſima arma moverunt, eumq;

Regio

Regio diademate exuerunt. *Ioh. Magn. Archiepiſc. Vbſaliens. in hiſt. Gothor. Sueonumq; lib. 24. c. 3. & 4. Ola. Magn. in biſt. rer. ſeptent. lib. 7, cap. 5.* Et quoniam hæc libertatis vindicatio tyranniq; abdicatio felici auſpicio magni illius *Guſtavi*, nunquam ſine honoris præfatione mihi nominandi, ſuſcepta, & bono Patriæ ex animi ſententia confecta fuit; inclyti Suecorum Gothorumq; Ordines ut tanto heroi & liberatori ſuo pro inenarrabilibus beneficiis gratitudinem teſtarentur, non tantùm coronam Regni, ac ſummam rerum, sereniſſimæ ejus celſitudini ultrò obtulerunt, *Ioh. Magn. d. loc. Petr. Petræ. Vbſalienſ. in chron. de Suec. Gothorumq; Regib. part. 1. in Guſtavo.* ſed etiam abrogatâ electione ſuccedendi jus in illuſtriſſimam, & præcelſiſſimam, *Goſtaidum* familiam contulerunt; ex qua proſpero ſeculi decurſu hodie invictiſſimus & potentiſſimus Rex, DN. GUSTAVUS ADOLPHUS, *Caroli* filius, *Guſtavi* nepos, Rex & Dominus meus clementiſſimus, ampliſſimis Suecorum Gothorumque Regnis aliiſque hereditariis Principatibus, æterna cum laude præeſt. Sed ad rem. Ex communi Politicorum & JCtorum doctrina, quos reſcenſet Henning. Arniſæ. *de Auth. Princ. cap. 4. num. 1.* quilibet tyrannus etiam cum vitæ ejus pernicie à ſubditis tàm univerſis quàm ſingulis depelli & deturbari poteſt, ſive is ſit *in titulo*, hoc eſt, illegitimis mediis imperium occuparit; ſive *in exercitio*, qui à fine ſuo, propter quem Regio donatur munere, abſcedit; atque ita (cùm conceſſio facta ob cauſam, revocetur ob ingratitudinem accipientis ſi cauſam non compleverit. *tot. tit. Cod. de revocand. donat. §. ſciendum Inſt. de donation.*) poteſtatem, quam causâ ſolius ſalutis publicæ habuit ſibi conceſſam, amittit. Sic Nero Claudius Cæſar à Senatu publicè damnatus, hoſtiſque imperii pronunciatus, & ſupplicio affectus eſt. *Sueton. cap. 46.* Licet autem hæc omnia jure à ſubditis ſtatuantur; Reip. tamen minimè conſultum videtur, ut legibus ea imperentur, aut præmia & honores iis deferantur, qui exauctorationis miniſteria exequuntur. Quippe metuendum, ne imperitum vulgus, ſi ſciverit tantùm ſibi licere in tyrannos, etiam cæco impetu, ſpe munerum, aut permiſſu legis in Principem errantem, injuſtè deſæviat. Quocirca, nihil Reipub. ex unanimi Politicorum conſenſu tàm ſalutare eſt; quàm; ut ſibi populus per-

ſuadeat; nequaquam fas eſſe Principem in minimo lædere. Et niſi extrema exegerit neceſſitas, niſi omnibus exhauſtis remediis nullum amplius ſupereſt, ad extrema illa nunquam manus admovenda: cùm ſine gravi ſymbiotici corporis convulſione abdicatio iſthæc vix fieri queat. Et minori ſæpe periculo toleratur tyrannus, quàm rejicitur. Hinc enim inteſtina bella, & horrendæ mutationes oriuntur, quæ quantò funeſtiora ſint Reipub. quàm tyrannica dominatio, infra erit dicendi locus. Hæc de tyranno hactenus. Sequitur alterum commiſſi genus, videlicet, Si Princeps ſe ſubditum conſtituat alterius: hoc eſt, ſi Regnum, quod liberum à majoribus & populo ſibi traditum accepit, alienæ ditioni mancipaverit, ſeque cum Regno (ut Johannes Balliolus Scotus Eduardo I. Angliæ Regi ſe ſubmiſit) extraneæ Majeſtati ſubjecerit. *Guilielm. Barclai de Regn. lib. 3. in fin.* Sanè talis Princeps, etiamſi eâ intentione hoc non fecerit, ut Remp. everteret: tamen, quia illud, quod Principalis eſſentiæ præcipuum eſt, deperdit, nempe quòd recognoſcendo ſuperiorem in Regno ampliùs non eſt ſummus, nec ſolo DEO inferior, hoc ipſo facto ſe ipſum deſtituit, & Princeps eſſe deſinit. Nam communiter Princeps nequit per teſtamentum pro arbitrio ſine conſenſu populi Regnum ſuum alicui deferre; nec ejuſmodi teſtamentaria diſpoſitio rata habetur, niſi quatenus cum legibus Regni convenit; *Arniſæ. de jur. Majeſt. lib. 1. cap. 7. num. 11. lib. 3. cap. 1. num. 5. & 10.* etiamſi ea vergeret in Reipub. utilitatem. Quod declarat Pyrrhi Regis Epirotarum exemplum, qui cum filium ſuum natu minorem in teſtamento, utpotè ad imperii habenas regendas magis idoneum, primogenito prætuliſſet: Epirotæ jus Gentium ſequuti ultimam hanc voluntatem irritam fecerunt, & in ſolio Regio majorem natu collocarunt. *Pauſan. lib. 1.* Si itaque non poteſt Princeps diſſentiente populo, aut refragantibus Imperii legibus, quantumvis fiat in emolumentum Regni, Imperium ſuum alicui deferre: quantò minùs, cum tendit in præjudicium totius Reipublicæ, id tradere, & extraneo juriſdictionem in illud populo toto invito aut ignorante concedere poteſt? Nullæ etiam (ut opinor) in ullo Regno tales facilè inveniuntur leges, patriæ libertatem proſtituentes. Et licet alicubi extarent: nihil tamen

men ad jus gentium commune pertinerent, nec aliquod præjudicium liberrimis Regnis, jus commune ſequentibus, creare poſſet. Jure igitur optimo maximo Scoti Anglorum jugum, quod prædictus Johannes Balliolus eis invitis induxerat, excuſſerunt; ejuſque traditionem irritam atque invalidam pronunciârunt. *Buchanan. rer. Scoticar. lib. 8. in Balliol.* Juſtè quoque Angli eam Regni abalienationem, quâ Johannes Rex ſe cum Regno Vejovi Vaticano inconſultis proceribus ſubmiſerat, reſciderunt. *Smit. lib. 1. de Republ. Angl. cap. 9.* Unde hæc aculeata dicta ab optimatibus in Regem conjecta: *Heu Anglia princeps provinciarum facta es ſub tributo, non ſolùm flamma, fami, & ferro, ſed ſervorum ignobilium & advenarum imperio ſubjecta, & ſupplantata, cùm nihil infeliciùs quàm ſervorum ſubjici ſervituti. Legimus, quòd multi alii Reges, imò & Reguli uſque ad mortem pro liberatione terræ ſuæ ſubjectæ dimicârunt: ſed tu Iohannes lugubris memoriæ profuturis ſeculis, ut terra tua ab antiquo libera ancillaret, excogitâſti & operam impendiſti. Et ut alios tecum traheres in ſervitutem, quaſi cauda ſerpentina medietatem ſtellarum à firmamento, teipſum primò depreßiſti, factus de Rege liberrimo tributarius, firmarius, & vaſallus ſervitutis, terrarum nobiliſſimam chirographo ſervitutis æternæ obligâſti nunquam à compede ſervili liberandam, niſi miſeratus ille, qui toti mundo proſpicit, dignetur quandoque liberare. Matth. Pariſ. in Ioha* Rex igitur, qui hoc modo Patriæ & Reip. libertati inſidiatur, excidit poteſtate ſummâ, quæ inde ad populum revertitur. Atque hi ſunt duo illi caſus: quibus populo Principem olim ſuum, ut privatum, propriâ autoritate in jus vocare, accuſare, condemnare, & punire licet.

### VIII.

Sed ut Monarcham à Magiſtratu, ita etiam cives à peregrinis diſtinguimus. Subditos in Principem tyrannicè imperantem jure animadvertere poſſe negamus: peregrinum poſſe affirmamus. Cuivis enim licet publica arcere mala, qui arcendo non peccat: quem nulla Religio à facinore perpetrando prohibet. At nulla eſt religio, quæ peregrinos à tali facto deterreat. nullo namque vinculo fidelitatis Principi alieno obſtricti ſunt, nec crimen læſæ Majeſtatis in eum committunt. *Henning. Arniſæ. lib. 3. de jur. Majeſt. cap. 6. num. 12.* Ergo Principem in ſubditos iniquè ſævien-

vientem, qui inter peſſima refertur mala publica, æquiſſimo humanitatis jure coercere poſſunt. *Arniſæ. de auth. Princip. cap. 1. n. 3.* Quod ipſum etiam Divina præcepta teſtari videntur. Proximum enim diligere ſicut ſe ipſum, ubique hominibus in ſacris literis injungitur. *Levit. 19. verſ. 18. Matth. 22. v. 39. Marc. 12. verſ. 31. Luc. 10. v. 38. 1. Iohan. 3. v. 16.* Qui autem populo periculis & calamitatibus ſic oppreſſo patrocinatur, is verè proximum ſuum diligit: atque ita non ſolùm ea, quæ à DEO permiſſa, ſed etiam cuique mortalium mandata ſunt, rectè exequitur. Divinè ſapientiſſimus Regum Salomon. *lib. Proverb. cap. 24. v. 11. 12. Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes. Si dixeris: Vires non ſuppetunt; qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetq; homini juxta opera ſua.* Et quidem ipſa naturæ inter homines cognatio charitaſque dictitat, ut vicinis & proximis noſtris oppreſſis ſubveniamus, & adverſus vim injuſtam eorum incolumitatem tueamur. *argumento. l. ut vim ff. de juſt. & jur.* Iure quoque Canonico non tantùm conceditur in caſu neceſſitatis proximum adjuvare, ſed etiam eundem deſerenti pœna decernitur. *ut in c. non inferenda. 23. quæſt. 3. Qui non repellit à ſocio injuriam, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quàm ille, qui facit. Et c. ult. Qui deſinit obviare cum poteſt, perverſis, & non facit, conſentit. adde l. Servius ff. de ſerv. exportant. l. ſcientiam ff. ad Leg. Aquil. l. culpa 50. ff. de Reg. iur.* Nec abit ab hac ſententia Cicero: qui *lib. 1. Offic.* conſtituit duo injuſtitiæ genera: unum eorum, qui inferunt; alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint, injuriam non propulſant. Ex quibus liquet, ad ferendum proximo ſuppetias obligari quemvis, qui ſine fidei violatione id facere poteſt. Ideoque etiam peregrini, modò illud commodè facere poſſint (nam id tantum alteri quis præſtare debet, quod ſibi non nocet, & alteri prodeſt. *argumento l. in ſumma §. 5. ff. de aqua pluv. arcend.*) quia tyrannico Principi jurejurando non ſunt obſtricti, ad idem tenentur. Imò non tantùm licitum, ſed etiam valdè honeſtum & laudabile eſt. Quid enim factu illuſtrius, quàm vitam & fortunas innocentium contra vim & immanitatem potentiorum defendere atque tueri? Quæ laudabilior inferendi belli cauſa, quàm eos opprimere, qui tenues ac innocentes injuriâ opprimunt? *Iohan. Bodin. de Republic. libr. 2. cap. 5. Petr. Gregor. Tholoſan. de*

*Repub. lib. ult. cap. ult.* Hinc Hercules Buſyridem Regem Ægyptium, qui hoſpites ad ſe venientes immolare ſolitus erat, *Diodor. Sicul. lib. 5.* alioſque tyrannos, ac monſtra hominum edomuit, & incredibili virtute proſtravit & intercemit: quibus rebus præclariſſimè geſtis hoc meritus eſt, ut in Deorum numerum referretur. Sic laus Tamerlanis fuit illuſtriſſima, qui Gilderunem Bajazetem Turcarum Imperatorem, hominem nefarium, fratricidam, tyrannum, indicto bello compeſcuit, & ferreæ caveæ incluſum ad diem uſque mortis ſecum circumduxit. *Ioan. Leunclav. in Hiſtor. Turc. Ioſ. Scaliger lib. 2. Canonum Iſagogicor. Philip. Melancht. in Chron. lib. 5.* At verò abſtinento, nec cruentanto ſubditi manus ſuas Principum pravorum ſanguine. *Hoc etenim docent ſacræ hiſtoriæ ne quis illius moliatur interitum, cui fidei & ſacramenti Religione teneatur adſtrictus*: ut ait Iohan. Sarisber. *in Polycr. lib. 8. cap. 20.* Nam licet iſtâ contumeliâ digni ſint ejuſmodi tyranni; at illi indigni, qui facerent tamen. De illis meritò dici poteſt, quod de Oreſte matrem ſuam propter mariti necem puniente canit Ovidius:

*Patris malus ultor Oreſtes.*

## IX.

A rebellione ſubditi jure prohibentur. Rebellionis autem nomen diverſimode accipitur. Interdum ii rebellare dicuntur, qui antè victi bellum denuò redintegrant: ut Virg. *9. Æned.*

*Sternet Pœnos, Gallumq́ rebellem.*

Et Tacit *libr. 3.* ait, *Eodem anno Galliarum civitates rebellionem captavere.* Interdum etiam ii nominantur rebelles, qui populum ad ſeditionem & arma contrà Magiſtratum concitant: quorum fit mentio. *C. de ſeditioſ.* Nos hoc loco omiſſis aliis ſignificatis, per Rebellionem intelligimus id delictum & crimen, quo ſubditus ſalutem ac honorem ſui Principis perfidè oppugnat, & proptereà læſæ Majeſtatis reus habetur. *tot. tit. ff. & Cod. ad leg. Iul. Majeſt.* Extravag. qui ſint rebelles. Et aſſerimus: populo univerſo, aut ſingulis de populo, non magis fas eſſe diſcolũ ſive tyrañicè imperantem Principem, quàm probum bonumque, offendere aut in ordinem vi cogere; imò acerbiſſima quæque, fugam, exilium, quin mortem ipſam priùs experiri ſatius eſſe. At dicat fortè aliquis.

D Quæ

Quæ hæc iniqua aſſertio? An tanta mala perferenda ſubditis? An in omnia vitæ pericula & miſerias à Rege iniquo ſe trahi, ſuaſque civitates flammâ & ferro, cùm conjugibus, liberis, ac fortunis, perire illi patientur? Ergòne multitudo, furori tyrannico ſemper jugulum præbebit? An igitur ſoli populo, quod unicuique animantium generi à naturâ conceſſum eſt, ut vim vi repellat, eſt denegandum? Breviter ex Barclajo. *libr. 3. cap. 8. in fin. de Regn. & Regal. poteſt.* reſpondemus: *Populo univerſo neque defenſionem, quæ juris naturalis eſt adimi; neque ultionem, quæ præter naturam eſt, adverſus Regem concedi debere. Quapropter ſi Rex non in ſingulares tantùm perſonas aliquod privatum odium exerceat, ſed corpus etiam Reipub. cujus ipſe caput eſt, id eſt, totum populum, vel inſignem aliquam ejus partem immani & intolerandâ tyrannide ſeu ſævitiâ divexet; populo quidem hoc caſu reſiſtendi ac tuendi ſe ab injuriâ poteſtas competit; ſed tuendi ſe tantùm, non etiam in Principem invadendi, & reſiſtendi injuria illata, non recedendi à debitâ reverentiâ propter acceptam injuriam, præſentem denique impetum propulſandi, non vim præteritam ulciſcendi jus habeto. Horum enim alterum à natura eſt, ut vitam ſcilicet corpuſque tueamur; alterum verò contra naturam, ut inferior de ſuperiore ſupplicium ſumat. Quod itaq; populus malum antequam factum ſit impedire poteſt; ne fiat, id poſtquam factum eſt, in Regem authorem ſceleris vindicare non poteſt. Populus igitur hoc amplius quàm privatus quiſquam habet; quòd huic, vel ipſis adverſariis judicibus, excepto Buchanano, nullum niſi in patientiâ remedium ſupereſt: cum ille, ſi intolerabilis ſit tyrannis (modicam enim ferre omninò debet) reſiſtere cùm reverentia ſit.* Hæc ille. Sic igitur populo non ultio, ſed interdum defenſio contra Principem invadentem conceditur; modò intra terminos defenſionis remaneat; (cùm *ſcutum dandum ſit ſubditis, ſed non gladius. Liv. lib. 3.*) præſentemque impetum, quando nullum aliud ſupereſt remedium propulſet; non autem ideò à debitâ obedientia recedat, aut Principem ſuum imperio nudare affectet; ſed gratiam & clementiam ejus imploret, & quando Princeps offendere, ſtatim ſe populus defendere deſinat. Si defenſio hoc moderamine inſtituitur, inter Rebellionis ſpecies neutiquam recenſetur: Sic David contra inſultum iniqui Regis Saulis, qui illum cum omnibus ſuis perdere decreverat, hoc modo ſe defendit: qui quantumvis ſexcentis viris

-ris pro ſui ſuorumque tutelâ ſtipatus eſſet, intra tamen defenſionis limites arctè remanſit; Regem ſuum lædere, quod commodè non ſemel poterat, nunquam tentavit; imò debitam reverentiam cum maximè nocere poſſet, illi exhibuit. *1. Sam. cap. 22. & ſeqq.* Eodemque modo Sueci ſeculo ſuperiore adverſus intolerandam ſævitiam Regis Erici Pomerani trium borealium Regnorum Principis ejuſque iniquorum præfectorum, duce Engilberto Dalecharlo, fœlici auſpicio bellum geſſerunt defenſivum *Ioh. Magn. hiſt. Goth. Sueon. libr. 22. cap. 6. & ſeqq.* Et non ita pridem, ex hoc jure glorioſiſſimæ memoriæ heros & fortiſſimus bellator *Carolus* Sudermanniæ, Nericiæ, & Wermelandiæ Dux, Regnique Sueciæ Princeps hereditarius; poſteà Suecorũ, Gothorumq;, &c. Rex ſacratiſſimus, unanimi Ordinum conſenſu cum BONO patriæ ſolemniter renunciatus, contra Sigiſmundi tunc Sueciæ & Poloniæ Regis impetum, qui ſereniſſimæ ejus celſitudini cum inſigniori Reip. parte, ſine ulla data cauſa exitiale damnum parabat, Anno 1598. in ultimo diſcrimine, maximo cum moderamine & incredibili erga Regem pietate ſe ſuoſque defendit. Nam partâ in campis Stekeburgenſibus & Lincopienſibus victoriâ, atque hoſtilibus Regiis copiis fortiter profligatis; ſic tamen Regi debitam reverentiam ſervavit, ut ceſſante Rege cum ſuis Polonis offendere, & ille quoque ſe defendere ceſſaret, ac Regem poſtmodum, ut prius, Regem & Dominum ſuum ſalutaret, eique omnem honorem ut Fidelem decet deferret. *Vide ſcript. Apologet. Ord. Regn. Suec. cont. ord. Polon. evulg. Anno 1608.* quæ recenſet *Eman. Metteran. in hiſt. Belg. lib. 28. Et Petr. Pertræ. in Chron. ſuo de Suec. Goth. Reg. part. 1. in Sigiſmund. & Carol.*

X.

Quemadmodum leges Divinæ mala prohibent, & bona quæque nos facere jubent: & juris præcepta ſunt, neminem lædere, honeſtè vivere, & ſuum cuique tribuere: *l. 10. §. 1. ff. de juſt. & jur.* Itaquoque ſubditis non tantùm abſtinere à Rebellione, ſed & Principi ſuo omnem obedientiam & reverentiam exhibere à DEO atque naturâ injunctum eſt. Non enim ſubditi per omnia officio ſuo in eo ſatisfaciunt, ſi Principis Majeſtatem nullâ re lædant: niſi etiam obtemperando eandem ſuſpiciant & vene-

 rentur.

rantur. Nam ut ille propriè virtuoſus non dicitur, qui vitia ſolummodò fugit; ſed ille demum, qui fugiendo vitia, virtutis perficit opus; ſic quoque illi ſolummodò veri & probi ſubditi dicendi, qui tam degeneri, quàm bono Principi in omnibus poſſibilibus (Impoſſibilium enim nulla eſt obligatio *l. 185. ff. de R.I.*) reverenter & promptè obediunt. Sed objiciat aliquis: Si Princeps aliquid in fide, vel moribus, Dei mandato contrarium juſſerit; An ei obtemperandum? Reſpondemus. *Obedire magis oportet Deo, quàm hominibus. Act. 5.* Nec propter metum Principis aliquid committi debet, contra voluntatem Divinam. *Nolite timere eos, qui niſi corpus nequeunt occidere; eum verò, qui corpus & animam, timete. Mat. 10.* Et certè talia mandata numero poſſibilium includi nequeũt. *Nam quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt*: inquit Papinianus, *l. 15. ff. de condit*: Si autem quem ulteriùs ſcrupulus hic moveat, is locum illum *Matth. 22.* nodum hunc totum ſolventem, diligenter conſideret: *Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris, Et* D E O *quæ ſunt* D E I. Ibi enim Salvator noſter ea, quæ ſunt Magiſtratus, ab iis quæ D E I, ſeparanda eſſe jubet. Ideoque ſi Princeps communia & humana imperaverit, cùm *propter conſcientiam*, tùm etiam *propter iram Rom. 13.* ne mors minas ſequatur, ſimpliciter ei obtemperandum eſt; Ubi verò reſcriptis ſuis impingit in fidem Chriſtianam; D E I honorem, ejuſque mandata, nunquam parendum; imò audacter ei in confeſſione & fide reſiſtendum eſt. Nec huic bono operi, quantumvis is ſævus ſit, timori eſſe poteſt: ut egregiè admodùm, & ad noſtram mentem appoſitè loquitur, S. Auguſtin. *in Pſalm: 124. ad verb. quoniam non derelinquis.* de Chriſtianis ſub Iuliano Imperatore militantibus, inquiens: *Iulianus extitit infidelis Imperator. Nonne extitit Apoſtata, iniquus, Idolatra? Milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant, niſi illum, qui in Cælo erat. Quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi* D E U M. *Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum à Domino temporali: & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum, etiam Domino temporali. c. Imperator 11. quæſt. 3.* Cæterùm cùm quid D E O adver-

adverſum à Principe imperatum fuerit, poſſunt & debent ſubditi hâc ratione utrique ſatisfacere: DEO quidem; ſi iniquâ juſſa non exequantur: Principi verò; ſi pœnam ob neglectum mandatorum propoſitam æquo & patienti animo ſufferant. Nam ſi pravus Princeps hæreſin amplecti, perjurium, adulterium, homicidium, & alia nefanda facinora verbo DEI contraria ſub graviſſimæ pœnæ comminatione patrare alicui præceperit; quis non dicat illum DEO, imò etiam Principi præſtare obedientiam, qui hæc ſpreverit? Licet enim Princeps juxta mandatum ſuum pœnam proponens, hanc minus velit quàm illud; vult tamen: & in eo ſubditi obediunt, quòd corporis cruciatum & perſecutionem omnem tolerant ſine conjuratione & rebellione. Nam *Satisfactio pœnæ æquiparatur obſervantiæ cõtractus. Cynus in l. petens C. de pact. & Iaſon ad l. cùm proponas C. eod.* Atque ita Principi reſpectu corporis & fortunarum; quibus ille dominatur; DEO autem ratione animæ & cordis, quorum is ſolus Dominus eſt, obſequii debitum ſolvitur. Sic tres illi viri mandato Nobuchodonoſoris, & Daniel Darii juſſioni de idolis adorandis non obſecundârunt: ſed dum ad ſupplicia ob edicti contemptum raperentur, omnia forti animo patienter perpeſſi ſunt, hocq; modo & DEO, & Regi debitam obedientiam exhibuerunt. *Dan. c. 3. & 6.*

XI.

Samuel Populo Iſraelitico Ius Regium ita deſcripſit: *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis: filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietq́ ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos, centuriones, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum: filias quoquoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque veſtros & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis. Sed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit; ut det Eunuchis, & famulis ſuis: Servos etiam veſtros, & ancillas, & juvenes optimos & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo, Greges quoque veſtros addecimabit, vosq́ eritis ei ſervi. Et clamabitis in die illa à facie Regis veſtri, quem elegiſtis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiiſtis vobis Regem. 1. Reg. cap. 8.* Hæc ex ore Dei loquitur Propheta, quæ poſtea in formam Legis redacta, repoſuit ante faciem Domini. *d. lib. c. 10.*

Quod tamen jus planè diſcrepat ab illo. *Deut. cap. 17.* tradito: *Rex non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatu numero ſublevatus, præſertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam ampliùs per eandem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus, neque argenti & auri immenſa pondera.* Et paulò pòſt. *Nec eleveţur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neq; declinet in partem dexteram vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe & filius ejus ſuper Iſrael.* Etſi autem talia facere, quæ Samuel de Rege propoſuit, *tyrannis & injuria in facto eſt: jus tamen in impunitate delicti verſatur. Guilielm. Barclai. de Regno de lib. 2. pag. 67. cum ſeqq. & lib. 3. cap. 6.* Diſcrimen etiam dd. Legum in eo conſiſtit, quòd ea, quæ à Moyſe, *Deut. cap. 17.* promulgatur *Lex imperandi*, quæ verò à Samuele *Lex parendi ſit*: hæc quid ferre debeant *Subditi*: illa quid facere *Reges* oſtendit. *Alberic. Gentil. in diſp. de pot. Princ. abſolut.* Eſt itaque genuinus legis à Samuele deſcriptæ intellectus: quòd etiamſi pleraque tyrannica ſint, quæ in eâ proponuntur, debeat tamen populus ſub Rege iniquo ea omnia æquo animo perpeti, nec unquam dicere, *Rex quid facis?* juxtà illud, *Ubicunq; verbum Regis eſt, ibi dominatio: Ecquis dicat ei, quid facis? Eccl. c. 8. v. 3.* multò minùs eundem propter delicta ſua exauctorare aut punire. *Dn. Præſ. in Diſquiſ. ſua de L. Reg. th. 95.* Sicut & hunc locum interpretâtur, *D. Brentius. homil. 27. in lib. 1. Sam* Subditis dicens: *etiamſi velletis jugum Regis excutere, tamen ut ſemel ſuſceperitis, nequaquam id vobis licebit.* Atque ita verba Samuelis populum à rebellione cohibentia jus Regium conſtituunt. Non autem hìc eorum acceptamus ſententiam, qui Prophetæ ſermonem reſtringunt ad caſum neceſſitatis, ut Waremund. ab Erenbergh / *in tract. de ſubſid. Regn. c. 8. n. 11. & cap. 9. n. 13. 18. Nic. Lyra. ad d. cap. Sam.* aut etiam ad tyrannicos mores & pravas conſuetudines Regum applicant, quemadmodum Buchanan. *de jur. Regn. Scot. Roſſa. de poteſt. Reipublic. c. 2. n. 10.* & alii. Samuel enim enumerando tot & tanta mala, ex regio regimine, ſi Rex ſuâ poteſtate abuti velit, eventura, hoc agebat, ut populum dehortaretur, ne ſtatum Reipub. immutaret. At ſi jus hoc tantùm ad neceſſitatem referendum eſſet, nihil hìc proponeretur terribile, nihilque quod non ſummâ ratione cuivis Reip. moderatori liceret. Neceſſitas enim tollit omnes leges; &

in caſu neceſſitatis tam Princeps, quàm Subditi patriæ parere debent omnes. *l. 2. ff. de juſt. & jur.* Deindè ſi tantùm ad mores & pravas conſuetudines traheretur, nulla daretur differentia inter hanc Regum rationem imperandi, & Magiſtratuum aliorum: idemque jus eſſet Iudicum, atque poſteà Regum in Republica Iſraëlitica. Poteſtate enim ſua æquè omnes abuti poſſunt: ut de ſuis magiſtratibus conqueſtus eſt Tiberius, *Deglugebant populum, quem tondere tantùm juſſi ſunt.* Et filii Samuelis dederunt ſeſe avaritiæ, accipientes munera, & corrumpentes judicium. *1. Reg. c. 8.* Quis autem dicat illoſque jus Regis habuiſſe? Nos igitur cum Melancht. *in Epit. Philoſoph. Moral. & lib. Chronic.* Cuner. *de offic. Princ. cap. 7.* Winzet. *in velit. cont. Buchanan.* Tholoſan. *de Repub. lib. 3. c. 2.* Henning. Arniſæ. *de jur. Maјeſt. lib. 2. c. 1. num. 4.* aliiſque *Officium Regis*, quod à Moſe proponitur, à *Poteſtate licita*, quæ à Samuele explicatur, diſtinguimus. Ex hac Principes iſto Privilegio tuti ſunt, ut ob peccata & delicta à nemine Subditorum puniri, ſed cum Davide profari intrepidè poſſunt, *Tibi ſoli peccavi Domine. Deut. 51.* Atque hunc eſſe ſenſum etiam alia expreſſa Dei mandata & SS. virorum exempla evidenter docent. Divus enim Apoſtolus Paulus *ad Rom. 13.* Subditos quoſcunque ita inſtituit: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas, niſi à DEO. Quæ autem ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque, qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Unde neceſſariò colligitur: Omnis inferior ſupereminentiori poteſtati ſubjectus eſſe debet; Ergò & univerſus populus, quia eſt inferior, Principibus ſubjectionem debet, nec illis unquàm reſiſtere, niſi ſibi damnationem acquirere velit, poteſt. Sic etiam D. Petrus ſubditis obedientiam mandat hiſce verbis: *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ, propter Deum: ſive ducibus, tanquam ab eo miſſis:* Et paulò pòſt, *Omnes honorate; fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate. Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis non tantùm Bonis & modeſtis, ſed etiam Diſcolis. 1. Pet. 2.* Ajunt quidem Monarchomachi, Apoſtolos tantummodò hic intellexiſſe Principes bonos, malos autem excluſiſſe: ad ad quam ſomnii formulam etiam illud præceptum, *Honora patrem & matrem tuam, Exod. 20. Matth. 15.* ita explicari poſſit; ſi boni

ni, ſi pii & probè parentum fungantur officio, ſunt honorandi: ſin ſecùs; neutiquam: Quod tamen falſum eſſe, iſto Imperatoris oraculo evincitur, *Quamvis legum contemptor, quamvis impius, tamen pater eſt. §. ſi verò in fin. Nov. 12.* At verò Apoſtolos ſine exceptione malorum Principum imperaviſſe Subditis obſequium, vel hinc manifeſtiſſimum eſt. Primùm, quia ſine reſtrictione & generaliter loquuntur: *Omnis anima ſubjecta ſit poteſtati, &c. Regem honorificate, &c.* Sed abſurdus ſit, qui pravos Reges neget eſſe Reges, aut qui talem mentem Apoſtolis affingat; abſurdus ſit, qui hìc diſtinguat ubi Lex non diſtinguit. *l. de pretio, & ibi gloſſ. de Public. in rem act.* Deindè ipſa tempora & populorum, ad quos ſcripſerunt Apoſtoli, dura conditio, ſatis ſuperque Apoſtolicam mentem explicant. Paulus enim ad fideles Romæ ſcripſit: ſed quales tunc ibi Principes? monſtra hominum ac beluæ immanes. *vide Tacit. & Sueton.* Sic Petrus ſuam dedit Epiſtolam ad Chriſtianos in Ponto, Bithynia, & Cappadocia: ſed quibus ſubjectos Principibus? paganis impiis, & ſi Buchanano fidem habere velimus, qui in *Dialog. de jur. Regn. Scot.* omnes Aſiæ Reges uno ſtylo confodit, nec ullos eorum legitimos fuiſſe aſſerit, crudelibus tyrannis. Et quid multis moramur? D. Petrus omne adverſariorum agmen jugulat, hiſce verbis: *Subditi eſtote Dominis non ſolùm Bonis ac Æquis, ſed etiam Diſcolis,* id eſt, difficilibus, pravis, aſperis, tortuoſis, & obliquis, ut interpretantur Eraſm. *in annot. ad d. cap. 2.* Arrias Montanus & alii. Quid? quòd Salvator noſter docuit hoc ipſum. Interrogantibus enim Iudæis, *An Cæſari cenſum dare deberent?* cum monſtrati numiſmatis effigiem conſideràſſet, reſpondit; *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, &c. Matth. 22.* Cujus autem hæc erat imago? Nónne Tiberii? Nónne Principis Tyrannide, fœdâ libidine, perjurio, cædibus, & aliis vitiis nobilis? *Sueton. in Tiber. cap. 44. Eutrop. libr. 7. de Tiber. Cornel. Tacit. annal. 6. Dio lib. 58.* & tamen huic tributum pendi, & reverentiam exhiberi juſſit Chriſtus: populum adverſus Tyrannum arma capere non juſſit. Longum ſit ire per exempla, etiam tyrannis & injuſtis Regibus à Civibus & ſubditis ſervati ac præſtiti obſequii: nullum tamen eſt illuſtrius eo, quod nobis imitandum reliquit & propoſuit Rex & Propheta David, cui Deus ipſe hoc teſtimonium perhi-

buiſ-

buit, *Inveni David, filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas. Act. 13. 1. Reg. 16.* Erat autem Saul Iſraëlitarum Rex jam à Deo rejectus; quippe, qui teſte Cypriano *Multa tyrannicè deliquerat*: imò ſi Boucher. *de juſt. abdicat. Henric. 3. l. 1. cap. 5. l 3. cap. 18.* & Hænon. *Polit. diſput. 9. num. 34.* audire velimus, prorſus in tyrannum degeneraverat. Atque inter horrenda & plurima ejus flagitia hæc videntur eſſe maximè inſignia: quòd 80. Domini Sacerdotes, vel, ſi Joſepho *antiq. Iud. l. 6. cap. 14.* credimus, 300. cum ſummo Pontifice unâ die interfecerit: quòd civitatem Nobe nullâ habitâ ſexus aut ætatis commiſeratione crudeliſſimè ferro ac flammâ perdiderit: 1. *Reg. cap. 22.* quòd Davidem ipſum, præcipuum ex optimatibus, *Qui ante Iſrael ingrediebatur & egrediebatur. 1. Reg. cap. 18.* jam candidatum Imperii & in Regem unctum 1. *Reg. cap. 16.* capitali odio ſanguinem & vitam ejus ſitiens acerrimè inſectatus fuerit. Verùm tantum abeſt; ut David in hunc Regem ſuum, ſed furentem atque truculentiſſimum inimicum, defenſionis ſuæ causâ aliquid ſtatuerit durius; ut fugere quàm fugare, cedere quàm cædere, injurias exul ferre quam præſul domi inferre, longè maluerit. Quod D. Ambroſius *libr. 3. offic. cap. 9.* meritò ita commendat: *O quam honeſtum, quòd David cum potuiſſet Regi inimico nocere, maluit parcere: quàm etiam utile; quia hoc ſucceſſori profuit, ut diſcerent omnes fidem Regi proprio ſervare, nec uſurpare imperium ſed vereri.* Fugitivus itaque David cum tutiſſima Engaddi loca peteret, poterat perſequentem Saulem in ſpelunca quam is ventris purgãdi gratiâ erat ingreſſus, & in cujus interiori receſſu David ipſe cum ſuis latebat, facile opprimere: ſed miniſtris ultionis oportunitatem ſuadentibus & urgentibus, generoſiſſimè ſimulque piiſſimè repoſuit: *Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum,* QUIA CHRISTUS DOMINI EST. *Vivit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut deſcendens in prælium perierit, propitius mihi ſit Dominus, ut non mittam manum meam in* CHRISTUM DOMINI. *Et confregit David viros ſuos ſermonibus iſtis, & non permiſit eos, ut conſurgerent in Saul. &c.* Et addit Scriptura: *Saul exurgens de ſpelunca, pergebat cœpto itinere: ſurrexit autem David poſt eum, & egreſſus eſt de ſpelunca, clamavit poſt ter-*

*gum Saul, dicens: Domine mi Rex. Et reſpexit Saul poſt ſe, & inclinans ſe David pronus in terram adoravit &c. 1. Reg. cap. 24.* Diſcant hîc furati Majeſtatis hoſtes, ſubditorum acinaces in Principum quantumvis impiorum jugulum ſine grandi piaculo ſtringi non poſſe, adeoque cuicunque vindictæ ardori intemeratam conſcientiam prædominari debere, quæ nunquam non meminerit hujus oraculi, REX CHRISTUS DOMINI EST: aut ſi hoc diſcere detrectent, profano ore contra conſcientiam & pietatem profiteantur oportet, Davidem, quia Saulem non occiderat, officii deſertorem, & patriæ, quam tyranno liberare poterat, pernicioſum hoſtem fuiſſe. Iterum in deſerto Ziph, cum David à Ziphæis proditus denuò à Saule jam jam opprimendus eſſet, perniciem ſolertiâ ſuâ à capite ſic ille amoliebatur, ut hoſtem & Regem ſuum Saulem, quem dormientem in tentorio offenderat, ne occideretur etiam defenderit. Nam cum diceret Abiſai ad Davidem: *Concluſit Deus inimicum tuum hodiè in manus tuas: nunc ergò perfodiam eum lanceâ in terra ſemel, & ſecundo opus non erit.* reſpondit David: *Ne interficias eum. Quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & erit innocens? 1. Reg. cap. 26.* Scilicet nondum ex Orco prodierat Satanica Regicidarum factio, quæ Clementes, Caſtellos, Ravaillacos parricidali doctrinâ imbueret, & populum ad rebelliones, ſacrilegia, & ſicas ſollicitaret. In alia Schola Pietatis & Politices fundamenta jecit David noſter: ex qua etiam hoc hauſit, quòd Abnerem Regiæ militiæ Principem, qui ſomno indulgens cum cæteris excubitoribus negligenter officio fungebatur, ſic increpaverit: *Nonne reſpondebis Abner? & reſpondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, & inquietas Regem? Et ait David ad Abner: Nunquid non vir tu es? & quis alius ſimilis tui in Iſrael? Quare ergo non cuſtodiſti Dominum Regem tuum? ingreſſus eſt enim unus de turba, ut interficeret Regem Dominum tuum, Non eſt bonum hoc quod feciſti: Vivit Dominus quia* FILII MORTIS ESTIS VOS, *qui non defendiſtis Dominum veſtrum, Chriſtum Domini, &c. d. cap. 26.* Hæc fuit Davidis in Regem ſuum pietas & obſervantia: quam ne tandem iræ forſitan impetu, ſi in manus Saulis incidiſſet, violaret, cum ſuis in terram Philiſtinorum profugit, & in exilio vixit. *1. Reg. cap. 27.* Amalechitam quoque qui ad montem Gelboe ſe in prælio Saulem occidiſſe confeſſus eſt,

extre-

extremo ſupplicio affici juſſit: *Quare ait non timuiſti mittere manum tuā in Chriſtum Domini?* & iterum *Sanguis tuus ſuper caput tuū: os enim tuum locutum eſt adverſum te dicens, Ego interſeci Chriſtum Domini*: mortem inſuper Regis animitus planxit, ejuſque manes honorificentiſſimo ornavit epicedio. *2. Reg. cap.* 1. Verùm quòd quidam, ut Boucher. *de juſt. abdic. Henric. 3. libr. 3. cap. 18.* & alii arbitrantur hîc in Davide *Perfectionis*, & non *Neceſſarii officii* exemplum proponi, fruſtra ſunt. Expreſsè enim contrarium Propheta ipſe demonſtrat; dum cauſam, cur non liceat Abiſai interficere Saulem, aſſignat hanc: *Quis extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & erit innocens?* Nam quod pœnam adjunctam habet, ex mandato, & non ex libera voluntate proficiſcitur: id proinde non perfectioni, ſed debitò neceſſariò tribuendum. Deinde *Filii mortis* hîc nominantur, graviterque peccare dicuntur; qui Saulem negligenter cuſtodierunt: Ergo multò magis illi ſunt *filii mortis* & graviſſimè peccant, qui Regi exitium machinantur, & vim intentant. Denique ſi perfectionis, & non debiti hoc eſſet Davidis exemplum; injuſtè Amalechita, qui ſe Saulem interemiſſe dixit, ſupplicio fuiſſet affectus. Supplicii cauſam edit David juſtiſſimam: *Os enim tuum locutum eſt adverſum te: Ego interſeci Chriſtum Domini.* Sufficiat ſanè hoc unicum Davidis de pravo Rege honorando exemplum, ad Monarchomachorum convincendum errorem. Illi ſi poſſunt, contrarium ex Divinis oraculis doceant: ſed non poſſunt. Recenſet quidem Althuſius *Polit. cap. 19. & 38.* quamplurima exempla, quibus ſuam opinionem ſtabilire conatur: ſed homo doctus in re ſeria nugatur: quod prolixè oſtendere poſſem, ſi hæc Diſputatio talem excurſum pateretur. D. Paulum adhuc audire juvat, qui cum juſſu Ananiæ Principis Sacerdotum injuſtè cæſus eſſet, tali eum repercuſſit dicterio: *Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu ſedens, judicas me ſecundum legem, & contra legem jubes me percuti?* increpitus autem à circumſtantibus quòd talia ſummò ſacerdoti diceret, reſpondit: *Neſciebam, fratres, quia Princeps eſt ſacerdotum. Scriptum eſt enim (Exod. 22.) Principi populi tui non maledices. Act. 23.* Quibus verbis manifeſtiſſimè Apoſtolus declaravit; legitimis magiſtratibus etiam impotenter dominantibus reſiſtere, vel obloqui ſubditis nequaquam licere. Et hoc ſacro-

croſanctum, Chriſtianum & Apoſtolicum dogma cum ipſis Apoſtolis non exſpiravit; ſed per omnia tempora in primitiva Eccleſia, poſteà & conſtanter propagatum eſt, illudq; S S. patres atque Eccleſiæ Doctores ſuis ſcriptis & exemplis toties pulcherrimè confirmaverunt. Sic D. Ambroſius teſtatus eſt in *cap. conveniet. quaſt. 8. Apol. David. cap. 4. & 10.* vide *Ruffin. libr. 2. cap. 16. &c.* Sic Tertullianus, Hieronymus, D. Auguſtinus, Bernhardus, & alii, quos omnes enumerare non ſinit inſtituti noſtri ratio. Finio theſin, & dico cum Winzeto *in velit. adverſ. Buchanan. pag. 182. Præclarè nobiſcum agi, quòd providâ ſuâ Deus benignitate caverit, nequid in ſacro ſuorum Bibliorum voluminè, unde ſtabilire poſſent Regum hoſtes ſuum ſive populi Regnum adverſus tam ſublimes ſuos miniſtros, verbo vel exemplo conſignaretur.*

## XII.

Videamus nunc Legem Naturæ & Gentium. Equidem jus Naturæ eò ducit, ut credamus, peſſimè habere illud Imperium, in quo Populus in Principis autoritatem & jura licentiùs graſſatur. *Date*, inquit Cicero *pro domo ſua, plebi licentiam, & intuemini pauliſper animo juventutem, & eos maximè, qui imminere jam videntur in poteſtatem Regiam: collegia medius fidius plebis tota reperientur, hoc jure firmato, quæ coeant de Regũ bonis & vita, prædâ præſertim populari & ſpe impunitatis oblatâ.* Nempe ordo hoc poſtulat, *ut inferior dominetur ſuperiori, ſervus domino, minor majori. c. cùm inferior. de majorit. & obed. c. inferior. diſt. 21.* At Princeps eſt ſuperior, non Populus: & Populus eſt inferior, non Princeps. Unde infert Lupold. de Babenb. *de jur. imperii, cap. 17.* Francos nullo jure potuiſſe deſtituere Childericum Regem ſuum, multò minùs eum pro imperio deponere. *Subditorum enim eſt obedire, Regum autem imperare.* Præterea Naturæ ſcitum hoc eſt: *Patri vel matri nullo modo contradicere debemus; dicant, faciant, quæ velint. Orig. Homil. 10. in Levit.* Hinc eſt, quòd ad parricidium excuſandum nullam inveniri idoneam cauſam teſtatur Iuſtin. *lib. 16.* Et vi regere patriam aut parentes, quanquàm & poſſis, & delicta corrigas, importunum eſſe: inquit Saluſt. *in bel. Iugurth.* Et, nullam juſtam eſſe cauſſam adverſus patriam arma capiendi, inquit Cicero. At verò Reſpublica patria eſt; Subditi ſunt liberi: Princeps autem Pater & caput eſt Reip. quod conſtituit

Natura.

Natura. Homer. Ariſtot. 8. Ethic. c. 10. & 1. Polit. 8. Dicimus ampliùs: Sicut animantia cætera, naturæ ſolius ductu homines metuunt, ac ad eorum aſpectum contremiſcunt, poſtquàm dixerat Iehova, *Et terror veſter ac tremor ſit ſupra cuncta animantia terræ. Gen. 9.* ita etiam propter excellentem & admirabilem quandam majeſtatem & occultam qualitatem, quam Deus Regibus tanquàm Diis terreſtribus, & ipſius Divini Numinis ſimulachris in ſignaculum poteſtatis impreſſit, ſolo horum conſpectu alii homines tàm redduntur ſæpe meticuloſi & trementes, ut & peſſimi ac procaciſſimi quique interdum hac ſola de cauſa manus ſuas à Principum ſanguine cohibeant. Sic lictor ille vel ſatelles quidam juvenis armatus, qui ad occidendum Marium Conſulem proſcriptum, apud Minturnenſes in carcere decrepitum atque inermem, miſſus fuit, veluti Majeſtate quâdam occultâ Marii perculſus eum ferire auſus non eſt. Valer Max. *lib. 2. c. 10. Appian. lib. 1. de bel. civil. Plutarch. in vit. Mar.* Similiter hic Dominationis character Regum Lacædemoniorum corpora tàm ſacra reddidit, ut exanguia etiam ſæpè ipſis hoſtibus timorem incuterent, nec ea proſtratorum cadavera colligere auderent, quæ ſine Religionis metu à Subditis tangi non poſſe didicerant. *Plutarch. in Agid. in fin.* vide de hiſce fuſiùs Petr. Gregor. Tholoſan. *de Repub. lib. 8. cap. 3.* Quòd ſi verò quis adhuc ambigat, An Natura ipſa autoritatem & Majeſtatem Principum ſanxerit: is ante oculos ſibi ponat extremos Indos, Americanos, & alios Barbaros, qui necdum Legibus Divinis vel Civilibus informati, ſolius Naturæ inſtinctu moventur & feruntur, ut Regibus ſuis Divinos quaſi honores tribuant: nec propter ſæviſſimam eorum crudelitatem, quæ immanium belluarum ſævitiam ſæpiùs ſuperat, veneratione Majeſtatis perterriti, eis unquam reſiſtere audent: quod Navigationes Hiſpanorũ & Hollandorũ abundè teſtantur. Ius. a. Gentium, *Quod naturalis ratio inter omnes conſtituit, & apud omnes populos peraquè cuſtoditur. §. 1. Inſt. de jur. N. G. & Civil. l. 1. §. jur. gentium ff. de juſt. & jur.* corroborat idipſum. Eſt enim *Generale pactum ſocietatis humanæ, obedire Regibus ſuis, c. 2. diſt. 8. & gloſſ. ibid.* Colligamus ſuffragia aliquammulta, ex variis Orbis Imperiis. De Nabuchodonoſore Daniel *c. 5.* ita: Vniverſi populi, tribus, & linguæ tremebant & metuebant eum: quos vo-

lebat interficiebat, & quos volebat percutiebat, & quos volebat humiliabat. Ac licet ad ſuperbiam Regis hujus cor elevatum fuerit, *d. c. 5.* multaque impia commiſerit, ut illum viri in clibanum ardentem conjecti, *Regem injuſtum & peſſimum ultra omnes homines vocarent*: *Dan. c. 3.* nihilominus ejus Subditi manſerunt devoti judiciumque Dei, qui illum mirabili quodam modo punivit, *Dan. c. 4.* expectârunt. Atque hæc obedientiæ laus olim apud Chaldæos & Aſſyrios longo tempore fuit illuſtris: ut ex Prophetiâ Dan. Beroſo, Diod. Siculo, Herodoto, & aliis cognoſci poteſt. Apud Perſas antiquitùs nemini fas erat Regem ſine ejus juſſu adire; ſecùs facturus capitis periculum adibat. *lib Eſth. cap. 4. Herod l. 1. & 3. de Siloſonte.* Et memorabile eſt illud, quod Xerxes, cùm expeditionem in Græciam pararet, convocatis Imperii ſatrapis, eos ita allocutus ſit: *Ne viderer meo tantummodo uſus conſilio, vos contraxi: Cæterùm mementote, parendum magis vobis eſſe, quam ſuadendum. Valer. Max. lib. 9. c. 5.* Quamvis autem hic belli apparatus quàmplurimis ex Principibus ſuis diſplicuiſſet, tamen eorum poſthabitis conſiliis, Rex propoſitum ſuum ſummâ cum Reip. pernicie urſit, & ſubditos ad ſumendum arma contra Græcos tantâ autoritate coëgit, ut Arthabano etiam, patruo ſuo, & omnium Perſicorum procerum primo, ſupplici & benignâ oratione bellum hocce diſſuadenti, acerbiſſimis minis ſilentium imponeret: parumq; abfuit, quin is Regi irato pœnas miſerabiles illicò daret. Herod. *l. 7.* Eadem ſumma in Darium, Cyrum, Aſſuerum, Cambyſem, & Reges reliquos propagata eſt poteſtas: quos Imperii abuſu ſæpiùs quidem peccaviſſe legimus, ſed proptereà eos ad Populi tribunal tractos fuiſſe, non legimus. *Vide lib. Eſdræ. Dan. Herod. Procop. Diod. Sicul. Xenophon. Iuſtin. Oroſ. &c.* In Græcorum Imperio eadem fuit Regum adverſus populum regnandi prærogativa. *Polyb. Appian. Plutarch. alii.* Alexander Magnus quanquam multis criminibus magnus, tamẽ à ſubditis inſtar Dei ſummâ veneratione colebatur. *Curt. lib. 3.* nec impar aut diſſimile obſequium experti ſunt Antiochi, Ptolomæi, &c. In Romano Imperio: ecce ſtatim in ipſius Regni primordio Romulum leges ſuâ autoritate præferentem, *Halicarnaſſ. lib. 2.* & prout libitum erat imperantem: *Tacit. 3. Annal.* Et de primis Rom. Regibus ita loquitur Pomponius *l. neceſſarium.*

§. 1.

 

*§. 1. ff. de orig. jur: Et quidem initio Civitatis noſtræ Populus ſine certa lege, ſine jure certo primum agere inſtituit, omniaq; manu à Regibus gubernabantur.* Poſterioribus ſeculis, quæ Imperatorum libertas Populi arbitrio minimè obnoxia fuerit; tradunt Seneca, Plinius in Panegyr. Suetonius, Tacitus, Procopius, Sext. Aurel. Victor, Eutropius, Flavius Vopiſcus, multique alii. Et elegantiſſimè idem notârunt D. Impp. Valentinianus, & M. Antoninus Philoſophus. Ille enim militibus ſuis, ut Imperii conſortem ſibi eligeret petentibus, ita reſpondit; *Vt me ad Imperium vobis eligeretis, in veſtra ſitum erat poteſtate: at verò poſtquam me jam elegiſtis, quod petitis in meo eſt arbitrio, non veſtro. Vobis competit tanquàm Subditis parere, mihi verò, quæ facienda ſunt cogitare. Sozom. hiſt. Eccl. l. 6. c. 6. Niceph. l. 11. cap. 11.* Hic verò, milites præter condictum Stipendium aliquid ab eo efflagitantes hoc abſolvit reſponſo: *Si plus, quàm condictum eſt, vobis dedero; id ex ſanguine parentum propinquorumq; veſtrorum exigetur. Nam nemo, niſi ſolus Deus, judex Principis eſſe poteſt. Xiphil. ex Dion. in vita M. Ant. Philoſ.* Ex hac ſancta & præcellentiſſima Imperatorum in cives ſuos autoritate factum; ut non ſolùm crimina læſæ Majeſtatis graviſſimis ſuppliciis vindicarentur: *vide Sueton: Plutarch. & Xiphilin. in Iul. Cæſ.* verùm etiam aliquandò etiam leviſſima facta, quæ in minimam Principis contumeliam vergere videbantur, ſeveriſſimè punirentur: Tiberius Cycizenos damnavit, *ob incuriam Cæremoniarum Auguſti: Tacit. 4. Annal.* L. Ennius à Capitone accuſatus fuit: *Quòd effigiem Principis ad promiſcuum uſum argenti vertiſſet! Tacit. 3. Annal.* Et Caracalla eos ſupplicio affecit, *qui coronas imaginibus ejus detraxerant, ut alias reponerent. Spartian. in Caracal.* Quòd ſi noſtra tempora contemplemur, licet alicubi ſatis ſterilia virtutum, alibi fertiliſſima vitiorum; quantâ patientiâ hodiè Turcæ, Moſchovitæ, Perſæ, aliique Aſiæ & Africæ populi, Regum ſuorum jugum ac tyrannidem ferant, nemo vel parùm in hiſtoriis verſatus ignorat. Refert Auger. Busbequius *in itin. Conſtantinopol. Epiſt. 3.* ſuo tempore Thamam Sophi, Principem otio & inerti vitæ deditum, Regiæ parietibus incluſum, inter pellicum greges conſeneſcentem, Perſarum Imperio præfuiſſe; cui cum nulla ferè juſtitiæ, juriſque adminiſtrandi cura fuerit, nec aliquod apud eum viguerit innocentiæ præſidium; maleficia quævis & latro-

latrocinia in ſuo Regno graſſabantur impunè ubique: hujus tamen tanta apud ſubditos autoritas & veneratio erat, ut beatos ſe illi crederent, qui poſtes Regios oſculo contingerent, & aquâ, quâ manus ſuas Rex abluerit, ad varia morborum genera abuterentur. In Hungaria avorum memoriâ proceres Matthiam Corvinum regno depellere cogitabant: quos tamen Michaël Orſachus regni iſtius Palatinus prudenter & animosè hiſce verbis cohercuit: *Quemcunq; ſacrâ coronâ coronatum videris, etiamſi bos fuerit, adorato, & pro ſacroſancto Rege ducito & obſervato. Bonfin. lib. 3. dec. 4.* Verùm enimverò nimis longum ſit exemplorum iter, neque hiſce chartis emetiendum: & quæ propoſuimus, non ideò fecimus, ut contendamus idcircò fieri aliquid debere, quia factum eſt; ſed quia id facere jus ac fas erat, ideò aliquandò factum fuiſſe, cum Barclajo *de Regn. &c. lib. 3. c. 3. in princ.* aſſerimus. Et quid multis? Eam Regalis faſtigii apud omnes gentes eſſe libertatem & ſecuritatem, ut nihil magis abſurdum aut inauditum excogitari poſſit, quàm Regem propter delicta in judiciũ vocare, aut de eo ſupplicium ſumere, remur. Sic Regem Dejotarum apud Cæſarem defendit Cicero: *Cùm in omnibus*, inquit, *cauſſis gravioribus, Cæſar, initio dicendi commoveri ſoleam vehementiùs, quàm videtur vel uſus vel ætas mea poſtulare: tùm in hac cauſa me ita multa perturbant, ut quantum mea fides ſtudii mihi afferat ad ſalutem Regis Dejotari defendendam, tantùm facultatis timor detrahat. Primum dico pro capite, fortuniſq; Regis: quod etſi iniquum eſt, in tuo duntaxat periculo, tamen ita eſt inuſitatum, Regem capitis reum eſſe, ut ante hoc tempus non ſit auditum.* Ita quoque C. Memmius vir popularis, & potentiæ nobilitatis aliàs infeſtus, jure Gentium Principum delicta impunita manere affirmat, dum ait: *Impunè qualibet facere, id eſt Regem eſſe. Saluſt. de bel. Iugurth.* Quod & Ariſtoteles *3. Polit. c. 11. & 12.* innuere videtur; dum illum perfectum eſſe Regem, cui Leges dominantur, negat.

X I I I.

Ius Civile generaliter acceptum eſt; *quod quiſque; Populus ſibi jus ipſe conſtituit. §. jus autem Inſt. de jur. N. G. & Civil. l. 9. ff. de juſt. & jur.* In hac ſignificatione multas ad noſtrum inſtitutum ex variis Imperiorum conſtitutionibus probationes adducere poſſimus. Sic in jure noſtro Suecico paſſim de perſona Regis inviolabili-

labiliter ſervanda cavetur, *lib. 2. de jur. Suec. Regal. lib. 9. de jur. violati juramenti Regii*, præcipuè autem, *lib. 10. de jur. circa pœn capital. c. 7. tit. Qui ducit exercit. cont. Reg.* ubi hæc verba leguntur: *Quicunq; exercitum ſuſcitat contra Regem, vel Dominum Regni, vel ponit ei inſidias & vult eum captivum ducere aut occidere; vel violentum aliquid, aut quod injuſtum eſt contra ipſum facere, cum literis, conſiliis, aut factis; talis debet mobilia & immobilia cum vita perdere, &c.* & iterum *d. l. cap. 8. tit. de inducend. exercit. cont. patriam. Qui ducit exercitum externum contra patriam ſuam, & fert clypeum tranſverſum contra Dominum ſuum, ac depopulatur patriam propriam (niſi ſit cum illo qui verus Rex eſt) tunc talis & omnes, qui cum eo ſunt, incidunt in pœnam juramenti Regii violati, quod eſt Edzöre/ & inſuper vitam & bona perdat, applicanda coronæ perpetuò poſſidenda, &c.* Idem etiam in aliis Regnis benè conſtitutis ſancitum eſt. Cùm autem juris Civilis nomen propter excellentiam juri Romano ſpeciatim & primariò non immeritò tribuatur. §. *ſed jus Inſt. de jur. N. G. & Civil.* tanta enim huic juri ineſt æquitas, atque cum natura, legibuſque Divinis convenientia, tantus etiam reconditæ ſapientiæ theſaurus, ut veriſſimè dixiſſe magnum illum ICtum Vlpianum exiſtimem, eos, qui hoc jus percipere avent, *Veram non ſimulatam affectare Philoſophiam*: *l. 1. §. cujus meritò. ff. de juſt. & jur.* nos tantùm ex hoc impræſentiarum populi Rebellionem & animadverſionem in Principes prohibitam eſſe oſtendemus. Argumento autem nobis primùm ſit *Lex Regia*, quâ populus Romanus omne Imperium (ut eo in populum uteretur) Principi contulit. §. *6. Inſt. de jur. N. G. & Civil.* de quâ etiam Vlpian. *in l. 1. in princ. ff. de conſtit. princ.* & videri poteſt. *l. unic. ff. de offic. præfect. prætor. l. 14. ff. de manumiſſ. l. 3. C. de teſtam. l. unic. §. 14. C. de caduc. tollend. l. ſed & hoc ſtudioſum C. de vet. jur. enucl.* Si igitur Populus omne ſuum transfudit Imperium in Principem: certè nullum habet reliquum. Et, ſi par in parem non habet Imperium; multò minùs habebit in Principem Populus, qui hâc ipsâ lege Regiâ ſe eo inferiorem conſtituit; ita ut Principem ſuum nec in jus vocare, aut ipſum propter facinora compeſcere poſſit. *arg. l. 3. & ult. ff. de juriſd. l. 1. & tot. t. ubi de criminib. agi oportet.* Quin ipſa ſanctio legis Regię (cujus monumentum adhuc hodierno tempore in Capitolio extare tranſlatum eò

§ S. P Q. R. ex templo S. Iohannis in Laterano, quod eſt in monte Cælio, Gregorii 13. autoritate, ac in priſtinum ſuum locum repoſitum, tradunt, *Iuſt. Eccard. in tract. de L. Regiâ. pag. 9. cum ſeqq. & pag. 28. cum ſeqq: Matth. Steph. de iuriſd. lib. 2. part. 1. c. 1. ſed vide etiam Barnab. Briſſon. de Formul. lib. 2.*) omnem populi juriſdictionem in Principem expreſsè tollit. verba ſunt: *Si quis huiuſce Legis ergo adverſus leges, rogationes, plebis veſcita, Senatuſve conſulta fecit, fecerit, ſive quod cùm ex lege, rogatione, plebiſveſcito Senatuſve conſulto, facere oportebit non fecerit, huius legis ergo id ei ne fraudi eſto, neve quid ob eam rem Populo dare debeto, neve cui de ea re actioneve iudicatio eſto. neve quis de ea re apud ſe ius dici ſinito, &c.* Præterea Princeps legibus ſolutus eſt, ut apparet ex §. *ſed & quod Principi Inſt. de iur. N. G: & Civil. §. ult. Inſt. quibus mod. teſtam. infirm. l. 2. §. noviſſimè. ff. de orig. jur. l. Princeps. ff. de ll. l. 1. in princ. ff. de conſtit. Princ. l. proſpexit. ff. qui & à quibus manumiſſi. l. 1. in fin. ff. de quæſt. l. ad beſtias: ff. de pœn. l. ex imperfecto. C. de teſtam. l. 4. & ult. C. de ll. l. nemo. C. de ſentent. & interlocut l. diſputare C. de ſacrileg.* & evidentiſſimè *in Novellâ. 105. de conſul. c. 2. §. 4. in fin. Omnibus autem, ait Iuſtinianus, à nobis dictis, Imperatoris excipiatur fortuna: cui & ipſas* Deus *Leges ſubjecit, Legem animatam eum mittens hominibus, &c:* At qui ſupra Leges eſt, etiam ſupra pœnam eſt. Cùm *legis virtus ſit, imperare, vetare, permittere, punire. L. 7. & 1. ff. de legib.* Porrò, ſi conſul, aut prætor, vel quicunque alius magiſtratus in jus vocari non debet: Sic enim habet Edictum: In jus vocari non oportet, neque conſulem, neque prætorem, neque Proconſulem, neque cæteros magiſtratus, qui imperium habent, qui & coërcere aliquem poſſunt, & jubere in carcerem duci, nec Pontificem dùm ſacra facit: *l. in jus vocari. ff. de in ius vocando.* profectò multò minùs Summus Princeps à ſuis Subditis accuſari, vel in judicium trahi poteſt: alioquin ejus conditio iniquiſſimè redderetur deterior, quàm Magiſtratuum precariorum, quorum poteſtas tantùm eſt temporalis & limitata, cùm illius ſit perpetua, abſoluta, liberrima. Imò expreſſus eſt in jure textus, *Generaliter eas perſonas, quibus reverentia præſtanda eſt, ſine iuſſu prætoris in ius vocare non poſſumus,* ait Modeſtinus *L. 13. ff. de in ius vocand.* At cui debetur major reverentia, quàm Principi; qui omnium Magiſtratuum caput eſt, & totius Reip. Patronus, & Patriæ Pater? imò pluris

pluris faciendum eſſe in Republica Principem, quàm Patrem, docet Bartolus. Sapientiſſimè igitur Imp. M. Aurelius dixit: *Populo magiſtratum, magiſtratui Regem, Principi verò ſolum Deum Iudicem conſtitutum eſſe.* Et ejuſdem cenſus benè multa paſſim occurrunt ICtorum & Interpretum axiomata: veluti; In Principe *eſſe plenitudinem poteſtatis, & poſtquam aliquid vult ex certa ſcientia, neminem poſſe ei dicere, cur ita facis?* Item, *Deum Principi leges ſubieciſſe, & nullam legem celſitudini eius imponi poſſe:* Et, *licet de iure aliquid non valeat, ſi tamen Princeps de facto mandat ſervari, perindè eſt, ac ſi de iure valeret, quo ad Subditos.* Et ampliùs: *Solum Principem ſoli Deo habere de peccato reddere rationem: & temerarium eſſe, velle Maieſtatem Regiam ullis terminis limitare:* & ſexcenta alia: de quibus Barclajus *de Regno, &c.* Quin leges civiles Auguſtalem Principis dignitatem tantâ veneratione complectuntur; ut etiam *de Iudicio Imperatoru diſputare ſacrilegium ſit. l. 3. C. de ſacrileg.* Et quid dicam de crimine læſæ Majeſtatis, cujus atrocitas facit, ut etiam conatus pro facto puniatur, *l. quiſquis. §. 4. Cod. ad Leg. Iul. Maieſtat. l. aut facta. §. eventus. ff. de pœnis. c. quæro. §. verùm in fin. c. ſi quis cum militibus. 6. quæſtion 1.* imò etiam filii Patris ſcelere ad pœnam raptantur. *Filii verò eius* (ajunt Impp. Arcad. & Honor. AA. in d. l. quiſquis) *quibus vitam Imperatoria ſpecialiter lenitate concedimus, (paterno enim deberent perire ſupplicio, in quibus paterni hoc eſt, hereditarii criminis exempla metuuntur) à materna, vel avita, omnium etiam proximorum hereditate ac ſucceſſione habeantur alieni, teſtamentis extraneorum nihil capiant, ſint perpetuò egentes & pauperes, infamia eos paterna ſemper comitetur, ad nullos prorſus honores, ad nulla Sacramenta perveniant: Sint poſtremò tales, ut his perpetuâ egeſtate ſordentibus ſit & mors ſolatium, & vita ſupplicium.* In ſumma, huic crimini obnoxii prorſus habentur deteſtabiles, ita, ut ex jure civili nihil agere poſſint. Ex eo enim tempore, quo crimen hoc contraxerunt, non alienare, donare, non manumittere, emancipare, non vendere aut in cæteris contrahere queunt. *l. 5. §. emancipationes, & l. maiori. §. qui verò Cod. ad L. Iul. Maieſt. l. donationes. §. fin. ff. de donat.* Nec eos accuſandi & conveniendi facultas derogatur iſtis, qui aliâs à judicio repellerentur; ut ſunt famoſi ſordidi, & cæteri à foro excluſi, *l. is qui iudicio. l. qui accuſare. cum ſeqq. ff. de accuſat.* namque *ad hanc accuſationem ſine ullo*

*dubio admittuntur*; inquit Modeſtinus, *l. 7. ff. ad L. Iul. Maieſt.* Memoria quoque illorum prorſus deletur. *l. 6. in prin. & l. fin. C. ad L. Iul. Maieſt.* & quæ ſunt talia ad horrorem & abominationem criminis conſtituta plura.

XIV.

Errat Vaſquius, qui *lib. 1. controverſ. c. 47. n. 11.* putat, populum præſumi ſibi retinuiſſe jus abdicandi Reges, tùm propter generalitatem *§. ſed naturalia Inſt. de I. N. G. & Civil. l. omnes populi. ff. de iuſt. & iur. l. neceſſarium. §. 9. ff. de orig. iur.* tùm quia nocentiſſimum eſſet populo, ſi poteſtatem omnem depoſuiſſet, cùm tamen, quod nocentiſſimum, feciſſe populum præſumi non poſſit. *l. cùm de indebito ff. de probat.* Licet autem Vaſquio non ineptè regeri poſſit; *ubi expreſsè conſtat de voluntate, non dari præſumptioni locum. Bartol. in l. Titia Seio §. Imperator. ff. de legat.* conceſſo tamen eo, præſumptioni hìc locum eſſe, nihilominùs contrarium verius eſt; ſcilicet ſubditis nunquam tantùm obeſſe, ſi ſumma & omnis poteſtas ſit penes unum, quin ſit longè periculoſiſſimum & nocentiſſimum, ſi populus jus habeat aut ſumat Reges ſuos abdicandi. Huc potiſſimùm faciunt omnia illa, quæ de Monarchiæ præſtantia conſcripſerunt præſtantiſſimi autores: qui hunc Reipub. Statum meritò deprædicant tanquam *antiquiſſimum, Cic. lib. 3. de ll. Iuſtin. lib. 1. & 2. Lipſ. Polit. lib. 2. c. 2. conſtantiſſimum, P. Gregor. Tholoſ. de Rep. l. 20. c. 1. naturæ apprimè convenientem, Plin. lib. hiſt. natural. c. 17. Ariſt. libr. 1. hiſt. animal. Reipub. quàm maximè ſalutarem, Tholoſan. de Repub. lib. 5. cap. 3. Barclai. de Regno libr. 3. c. 2. Alberic. Gentil. in diſp. de princ. poteſt. abſolut. Arniſæ. in libel. de præſtantiâ Monarchiæ. & relect. Politic. l. 2. c. 2. Ioh. Bodin. de Repub. l. 2. d. cc. & 6. & lib. 4. c. 1.* Memorabile *apud Herodot. lib. 3.* legitur hujus rei exemplum. Nam defuncto Cambyſe, & fratre ejus Smerdi interfecto, cum ſeptem Perſiæ optimates de eligendo novo Rege conſultarent, & Ottanes Democratiæ, Megabizus Ariſtocratiæ, Darius Hiſtaſpis verò Monarchiæ, priſtinæ ſcilicet formæ, multis diverſis argumentis, omnibus publicam utilitatem concernentibus, patrocinaretur: vicit Darii ſententia melior, utpote populo pernitioſiùs eſſe, ſi is penes ſe ſummum haberet poteſtatem, quam ſi unius Dominatus ad Tyrannidem inclinaret accuratiſſimè demon-

demonſtrantis, quæ etiam reliquarum ſatraparum ſuffragio ſubſcripta fuit: atque ita ipſe Darius ſorte per equi hinnitum Perſarum Rex eſt conſtitutus. Atque hæc ipſa ſumma Reipub. utilitas peperit in Imperio Romano olim ſummas poteſtates, Dictaturam & Principatum. Sic dicebat Appius Claudius, *Opus eſſe non forti ſolùm viro, ſed etiam libero exolutoq; legum vinculis*: *Liv. libr. 4.* Sic Pomponius: *Neceſſe fuit, Reip. per unum conſuli l. neceſſarium. §. 11. ff. de orig. iur.* Et notatu dignum eſt: quòd, cum S. P. Q. R. Cappadoces & Paphlagones Regibus liberare vellent, illi id recuſarint, hoc potiùs ſupplicium, quàm beneficium rati, reſponderintque; nullam gentem ſine Regibus vivere poſſe. *Iuſtin. libr. 38.* Deinde, ſi Populus obtineat jus aut licentiam Reges ſuos deponendi; vix dici poteſt, quot quantiſque turbarum & motuum tempeſtatibus Reſpubl. exponatur. Nunquàm enim deſunt turbonibus Reip. curam mentientibus prætextus, quibus vel optimis Regibus ac Principibus iuſtè negotium faceſſere, & arma inferre videantur. *Condixerant ii,* (inquit Gaguin. lib. 10. c. 7.) *qui arma adverſus Ludovicum. XI. Gallor. Reg. parabant; ſe ideò conventuros, ut populum vectigalibus preſſum, & penè ſervum in libertatem vindicarent. Adeò ſolers eſt malè errantium cautio; ut iuſtitiæ velamen ſuæ iniquitati prætendant.* Et quis tàm perfectè felix eſt Princeps, qui non aliqua committat, quæ contra officium ejus torqueri poſſint! Aut quis Principum eà animi moderatione res gerere poteſt, ut ſit acceptus omnibus, exoſus nulli? Equidem ſi Rex tenuiores ſublevet, & plebem à magnatum injuria tueatur; ſtatim ſibi infenſam habet Nobilitatem: Quæ etiam cauſa fuit, ut Creſophontem Meſſeniorum Regem cum omnibus ferè liberis interfecerint optimates. *Pauſan. in Meſſenic. ſive lib. 4.* Iacobus V. Scotorum Rex, Princeps præſtantiſſimus: cum plebem adverſus injuriam potentiorum magnâ ſeveritate defenderet, Nobilium ſcommata & aculeata dicteria evitare non potuit, qui per ignominiam vocàrunt eum patrio ſermone *The Carlis King*; hoc eſt, *Regem ignobilium*. Et eo defuncto quidam ex proceribus dicere auſus eſt: *Optimum amiſimus Principem; ſed commodùm morbo abſumptus eſt, & ad gloriam gentis noſtræ, ne fortè, ſi longiùs ſpiritum duxiſſet, ipſa eum Nobilitas interemiſſet. vide Guilielm. Barclaj. de Regno. &c. l. 5. c. ult.* Sin autem è contra

 Prin-

Princeps Nobilibus faveat; mox Plebejo ordini non minus ſe reddit inviſum. At quæ hic conſequuntur? Certè omnia turbulenta & periculoſa. Nam partes infenſæ (cum ſimul omnes Subditos ſibi devinctos habere raro contingat) ſi arbitrantur jus ſibi eſſe Principem propter ejus delicta abdicandi, ſtatim violatum juramentum, injuriam huic illatam, ejus neglectum patrocinium, in hoc vel illo Regem officii limites tranſgreſſum eſſe clamitabunt; & Dominum ſuum in jus, ad cauſam dicendum, ad ſententiam audiendum vocabunt. Qui ſi comparuerit, procul dubio Bruti & Caſſii primum judiciarii ordinis caput facient executionem: Sin citationem ſpreverit; ipſum abſentem tanquam contumacem Imperio & vitâ indignum judicabunt, condemnabuntque. Hoc modo factionibus ſciſſa Reſpublica demùm inteſtinis lanienis perit. Et quàm futiles ſæpè & leviculas arripiunt armorum cauſas turbones? Ægyptii Ptolomæum ejecerunt; quòd nimis ſtudiosè *Regis & amici Romanorum* nomen affectaret; *Dion. lib. 9.* Priſcis Burgundionibus cauſæ ſatis erat ad pellendum Regem ſuum, ſi ſub eo belli fortuna titubaſſet. *Marcell. libr. 27.* Gothi in Hiſpania non aliam reddebant exauctorationis cauſam, quàm quod Rex illis diſpliceret, *Aimon. lib. 2. c. 20. & lib. 4. c. 35.* Nec fugit nos, quàm frivola Henrico VI. Anglorum, & Chilperico Gallorum Regibus objecta ſint. Nullus quoq; eſt ferè ex XXXIII. Articulis, Richardo II. Anglorum Regi exprobratis, in quem non quivis Principum impingat. Verùm inter mala, quæ hæc effrenis populi licentia patrat, hoc non eſt parvi momenti: quòd ex illa majus immineat periculum Principibus bonis, quàm malis: & quòd tantò pluribus hoſtibus expoſiti ſint Principes boni, quàm mali; quantò majori numero ſemper mali cives ſuperant bonos, illique ad malefaciendum tantò ſunt audaciores, quantò minus habent ſani judicii, minuſque bonitate naturæ impediuntur: præſertim cùm plerunque *vulgus ſit ſtupidum & iudicii expers, Cicer. pro Planc. leve & inconſtans, Senec. Epiſtol. 94. Liv. libr. 23. affectus ponat & ſumat, Tacit. 1. hiſtor. omniq; tempore pronum ad ſeditionem exiſtat. Nicet. in vitâ Alex. Comnen. de Byſant. Popul.* Matthias I. Rex Hungariæ nonné fuit Princeps optimus, excellentiſſimus, & cum paucis conferendus? Et tamen ab eo benè

magna

magna Hungarorum in licentiam projectorum pars fide poſthabitâ diſceſſit; ita ut ex LXXV. conventibus ſupereſſent tantum novem. Bonfin. decad. 4. libr. 3. Non neſcio, quid hîc dicant adverſarii; ſe quidem non concedere, ut ſeditioſa turba vulgi graſſetur in Principem; ſed hoc Principis in ordinem cogendi negotiũ univerſo populo, vel majori & meliori ejus parti, cum temperamento dexterioris judicii expediundum, tutò committi poſſe. Quibus reſpondemus: rem eôdem recidere. Nam hanc univerſi populi poteſtatem quicunque ſeditioſi, qui Principem oderunt, & confictis ſæpè criminibus etiam apud alios exoſum reddere ſatagunt, uſurpare, bonum publicum obtendere, & ſe meliorem populi partem eſſe clamitare ſolent: adeo ut omnes qui ſecum in Principis perniciem ferrum non acuunt, pro deſertoribus officii habeant. Hinc quia rariſſimè contingit: ut populus à Rege ad Rebellium caſtra ità tranſeat, quin aliqua pars remaneat fida; hæc etſi non major ſit, tamen meritò contendit, ſe eſſe meliorem. Quis enim non laudet potiùs novem reſiduos conventus Ungariæ Regi ſuo Matthiæ adhærentes, quàm LXVI. deficientes? Aut quis non dicat, duas illas tribus feciſſe rectiùs, quæ fidem Roboamo ſervarunt; quàm decem illæ, quæ eandem fregerunt? Sed interim dum ſic contenditur de bonitate cauſæ partium: utrinq; per ſimultates, ſuſpiciones, perfidiam, velitationes, pugnas, tandem pervenitur ad interitum. Ad extremum hoc dico: cum Princeps communis ſubditorum Pater cenſeri debeat, ac propterea eadem fiducia reciproca inter eum & ſubditos atque inter patrem & liberos eſſe oporteat: qumodo ſubditis ſuis confidere ille poteſt, ſi videat, ob quemcunque officii neglectum, aut etiam fictum crimen, ſe à Populo jactari & ſeditionibus involvi? Certè hæc populi licentia calcar Principi ad tyrannidem addit. Dum .n. videt ſubditos metu Numinis à vi ſibi inferenda non abſterrei; militis peregrini præſidio ſe munire, & fœdus cum vicinis & externis populis, quorum auxilio in caſu neceſſitatis contra ſuorum vim defendi poſſit, etiamſi id in Reipubl. præjudicium fiat, pangere cogitur. Hinc etiam fit, ut aliâs mitiſſimus & humaniſſimus Princeps, ſuſpicionibus vacare non poſſit, ſed dum perpetuò de ſua ſalute anxius eſt, quoſcunque in

ſuo

ſuo Regno potentiores, vel quos alias ob cauſas metuit & ſuſpectos habet, exitiali odio perſequatur, illoſque arte & Marte è medio tollere enitatur. At ubi tantum eſt inter imperantes & obtemperantes odium, tanta diſtractio, metus & diffidentia; ibi totius Reipub. ruina eſt proxima. Ex quibus omnibus facile jam ea quæſtio ſolvi poteſt: An ſit ſatius, Principis unius ferre ſævitiam, quàm ejus exautoratione totam Rempubl. civilibus conquaſſare bellis? In eo regno, ubi Princeps unus tyrannicè imperat, inter mixtam crudelitatem tamen poteſt externus hoſtis propulſari, juſtitia defendi, & ſalus publica quæri: ſed ubi bella geruntur inter ſubditos, & Principem, ibi omnia ſacra & profana convelli atque confundi neceſſum eſt, ac Princeps ſubditorum impar viribus externum invitet militem perquam Reip. perniciosum. *Gregor. Tholoſan. de Republ. libr. 23. cap. 6. numer. 4.* quod demonſtrant exempla Ludovici Sfortiæ, qui Carolum VIII. Galliarum Regem in ſubſidium contra hoſtes ſuos Arragonenſes in Italiam evocavit; *Guicciard. lib. 1.* & Johannis Scepuſienſis Weivodæ, qui ut Hungariæ Rex fieret, & contra Ferdinandum Regem defenderetur, in tutelam Imp. Turcici Sulemanni ſeſe dedit. *Iohan. Sleidan. in Comment. lib. 6.* Poteſt etiam arreptâ hac commodâ occaſione alius fortè Princeps, viribus ante inferior, nunc per hujuſmodi inteſtinas diſſenſiones factus potentior, vel memor injuriæ illatæ vel dominandi cupiditate motus, Rempublicam civili bello labefactatam invadere, Principem ac ſubditos ſimul opprimere, & duriſſimo ſervitutis jugo ſubjicere. Quid? quòd etiam ex ſententia populi ſublato pravo Principe novæ & majores plerumque oboriuntur calamitates: *Rarò enim* (ait Tacit. lib. 4.) *ea moles convelli ſine convellentium exitio poteſt.* Nec facilè tàm radicitus tyrannica dominatio erui poteſt, quin ex illius reliquiis maneat ultor, & ex favillis non probè diſperſis novum excitetur incendium, quod ſi non univerſam abſumat Rempub. tamen procul dubio bonam ejus partem pervadat, & acquiſitis viribus eam totam in maximum belli civilis diſcrimen conjiciat; ut tradit eleganter Henning. Arniſæ. *de auth. Princ. &c. cap. ult. num. ult.* Porrò timendum eſt: ne uno ſublato tyranno, plures poſtea de regno inter ſe contendant, & mutuam invicem exerceant

ceant crudelitatem. Pauculis poſt necem Neronis menſibus, plus ſanguinis Romani, trium Imperatorum inteſtinis prœliis effuſum fuiſſe, quàm totis quatuordecim annis quibus imperavit Tyrannus, oſtendit Cardan. *in Orat. prò Nerone.* Cùm igitùr omniũ prudentum ea ſit opinio, quam & ratio ipſa dictitat, ut ex duobus malis minus ſemper eligatur: quis non malit tyrannicam ferre dominationem, quàm manus ſuas civili commaculare ſanguine? Præſertim cùm hoc extincto tyranno, non tamen populus ſtatim à tyrannide liber efficiatur; *imò Bonis ſæpè mali, ait Valer. Max. lib. 6. cap. 2. rarò meliores ſuccedunt.* Quare rectè ſentiebat anus Sicula, quæ cum pro ſalute Dionyſii tyranni indies fudiſſet preces, ab eo cur hoc faceret interrogata, reſpondit: *Ne ſi tu fueris abſumptus, deterior in locum tuum ſuccedat. Valer. dict. loc.* Quapropter populo ſub Tyrannicò Rege degenti nihil utilius videtur, quàm hanc imitari doctrinam: *Quemadmodum ſterilitatem aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ſic luxum & avaritiam dominantium ferre debemus. Tacit. 4. hiſtor.* Et piiſſimè Winzet. *in velit adverſ. Buchanan. pagin. 190.* Minus etiam malum præviderat ipſe pacis auctor, ſi Rex immoderatiùs aliquando impunè erga populum ſe gereret, quàm ſi populus judex & ultor Regiæ iniquitatis pro libidine exiſteret. Abſtineant ergo ſubditi à Rebellione. Cum enim ea jure Divino & humano interdicta ſit, atque Reipublicæ quietem perturbet, ſæpiſſime in caput authorum recidere ſolet. Cujus rei inter cætera illuſtre eſt hoc Rudolphi Sueviæ Ducis exemplum. Is cum contra Imperator. Henricum IV. Principem ſuum legitimum, cum multis aliis ſuaſu & perfidiâ Pontificis Hildebrandi arma moveret, & tandem ab exercitu Imperatoris profligatus, dexterâ truncatus, graviterque iſto lethali vulnere ſauciatus, morti viciniſſimus eſſet, converſus ad familiares ſuos dicebat: *Videtis manum dexteram meam de vulnere ſauciam. Hâc ego juravi Domino Henrico, ut non nocerem ei, nec inſidiarer gloriæ ejus. Sed juſſio Apoſtolica, Pontificumque petitio me ad id deduxit, ut juramenti tranſgreſſor honorem mihi indebitum uſurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis: quia in manu, unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi.*

*viderint ergo ii, qui nos ad hoc inſtigaverunt, qualiter nos duxerint, ne fortè deducti ſimus in præcipitium æternæ damnationis. Et hoc dicens cum gravi moleſtia clauſit extremum. Helmold. in hiſtor. Sclav. cap. 28.29.30. libr. 1.*

SOLI DEO GLORIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE